SUMMA CASUUM CONSCIENTIÆ

Novâ methodo elaborata

Per

Iohannem-Henricum Alstedium:

Accedunt opuscula duo ejusdem argumenti: videlicet

I. *Explicatio terminorum, quibus utuntur Casista.*

II. *Arithmologia sacra & quotidiana conscientiæ luctantis.*

FRANCOFVRTI,

Typis PAULI JACOBI, Sumptibus CONRADI EIFRIDI.

Anno M DC XXVIII.

Joh. Conrad Caussenio D.

LECTORI CHRISTIANO.

NE quid corpori theologico in compendii à me redacto per synopsin methodicam definitiones, regulas, distinctiones, & quæstiones, deesset, visum mihi fuit faciendum, u isti fasciculo adiungerem hãc summã casuum conscientiæ. Quam quidem ut cum fruct evolvas, triæ ista mihi es monendus, quicun velitem Christianum te profiteris. Princip casus, sive quæstiones, conscientiæ aut sun merè theologici, aut mixti, hoc est, theologi co-politici, ethici, iuridici vel medici. Vtriqu tamen, quatenus pertinent ad forum poli, de ciduntur theologicè. Deinde methodus iste rum casuum potest esse varia. Nobis in pre sentiarum arrisit illa, quâ theologia casuu dividitur in partem generalem & specialem. Illa disserit de conscientiâ, & ipsius luctâ genere: hæc persequitur omnes conflictus co scientiæ secundùm seriem locorum commu nium. Denique si velis operæ pretium face in hâc palæstra, necesse est ut reipsa pugnes hostem, adiutus hac manuductione.

Cal.

CAP. I.

De Conscientia.

1. *Quid sit Conscientia?* Est vis intellectus practici in creatura rationali, Deo perhibens testimonium de rebus gestis & gerendis.

2. *Quotuplex sit status conscientiæ?* Triplex: secundum naturam, contra naturam, & supra naturam. Ille est partim in natura integra, partim in reliquiis naturæ integrę post lapsum: iste est status peccati in hac vita, & in inferno: hic denique est status tum gratię, tum gloriæ.

3. *Quisnam habeat imperium in conscientiam?* Solus Deus: utpote creator, redemtor, & judex animæ nostræ.

4. *An non Angeli, magistratus, parentes, & alii in statu eminentiæ constituti habeant imperium in conscientiam hominis?* Non habent ut domini, sed ut vicarii Dei, qui solus est dominus conscientiæ.

5. *Quid obliget cõscientiam?* Lex & Evang.

6. *An sola lex Dei obliget conscientiam?* Affirmatur de obligatione immediata & directa. Nam alioqui lex humana obligat cõscientiam mediatè & indirectè: quatenus videl. cum lege Dei consentit.

7. *Quanam conscientia sit bona?* Quæ congruit ad normam Legis & Evangelii.

8. *Quot modis conscientia possit esse bona?* Duobus. Aut enim est bona universaliter, aut particulariter. Rursus universaliter est bona vel in statu innocentiæ, ut in Adamo integro: vel in statu gratiæ & gloriæ. In statu innocentiæ est bonitas inhærens: in statu gratiæ imputata: in statu gloriæ imputata & inhærens. Conscientia particulariter bona est talis moraliter, ut in homine non regenito, virtutis ethicæ studioso: vel spiritualiter, ut in homine regenito, fidem exserente per bona opera. Sic v. g. conscientia Davidis universaliter est bona, quatenus est lota sanguine Christi; particulariter, quatenus laudat Deum.

9. *Quot modis conscientia possit esse mala?* Duobus. Aut enim est mala universaliter, aut particulariter. Illo modo conscientia mala est hominis tum in Adamo lapsi, tum in seipso damnati: hoc modo conscientia mala cadit in hominem peccantem, sive sit electus, sive reprobus.

10. *Quanta sit potestas conscientiæ?* Tanta quanta est Legis & Evangelii. Nam si cõscientia cõgruat cum norma sua, sive universaliter, sive particulariter, perhibet Deo testimonium pro nobis: si verò dissentiat, perhibet eidem testimonium contra nos.

11. *Quotuplex sit potestas conscientiæ?* Duplex: una est testis, altera judicis. Nam officium

ficium cõscientiæ versatur in testificatione & judicii exercitatione.

12 *Quodnam sit immediatum effectum conscientiæ?* Syllogismus practicus, qui hominem absolvit vel condemnat.

13. *Quibus de rebus conscientia ferat iudicium?* De præteritis, præsentibus, & futuris. Illic accusat, vel excusat: isthic dictat aliquid benè vel malè fieri: hîc prædicit, aliquid benè fieri posse, vel secùs.

14. *Quot modis contingat peccatum contra conscientiam?* Quinq; modis. Si nempe aliquid fiat conscientia errante, vel repugnãte, vel dubitante, vel scrupulosa, vel denique opinante.

15. *Qualis sit conscientia hominis regeniti?* Est prædita spiritu libertatis Christianæ & adoptionis. Ibi est immunitas à justificatione, condemnatione, & rigida exactione legis moralis, item ab onere legis ceremonialis, & traditionum humanarum: hîc est certitudo salutis.

16 *Quid sit conscientia mortua?* Quæ parũ aut nihil accusat ob peccatum. Estque vel torpida & obstupescens, vel cauteriata. *Ge.* 42. 2. 1. *Tim.* 4. 2.

17. *Quid sit conscientia expergefacta?* Quæ hominem excusat, vel accusat: idque benè, vel malè.

Cap. II

De luctâ conscientiæ in genere.

1 *Quid sibi propositum habeat theologia ex suum conscientiæ?* Ut solvantur quæstiones conscientiæ luctantis.

2. *Quid sit luctta conscientiæ?* Est disputatio conscientiæ exercitæ à Deo, diabolo, mundo, & carne.

3. *Quot partibus absolvatur ista luctta?* Duabus: videl. apparatu, & conflictu.

4 *Quanam in re sit positus apparatus huius luctæ?* In panoplia sacra: cujus partes & arma sunt terbina, videl. baltheus veritatis & thorax justitiæ, ocreæ Evangelii pacis & scutum fidei, galea salutis & gladius verbi Dei *Eph. 6. v. 14. 15. 16 17.* Quibus adjungi & subvenire debent oratio & vigilantia *ibid v. 18. & 1. Pet. 5. v. 8 9.*

5. *Quid sit baltheus veritatis?* Conscientia bona, qua fit ut miles Christianus sibi sit conscius rectè factorum in vocatione sua *1. Tim. 3 9.*

6. *Quid sit thorax justitiæ?* Est pia & sancta vita. *Iob. 29. 14. Esa. 59. 17.*

7. *Quid sint ocreæ Evangelij pacis?* Doctrina Evangelii, qꝙ pacem internã & reconciliationẽ nostri cũ Deo annuntiat. *Ioel. 1. 2.*

8. *Quid sit scutum fidei?* Fides in misericordia Dei per Christum. *1. Ioh. 5. 4.*

9. *Quid sit galea salutis?* Spes Christiana salutis æternæ. *1. Thess. 5. 8.*

10. *Quid sit gladius spiritus?* Est verbum

Dei

Dei efficax ad interficiendum omnes Dei hostes. *Heb.* 4. 14 2. *Cor.* 10. *v* 4, 5.

11. *Cur necesse sit accedere precationem ad sex arma prædicta?* Quia multiplex infirmitas hujus vitæ efficit, ut conscientia pura mista sit cum impuritate, cognitio Evangelii comitem habeat ignorantiam, fides conjuncta sit cum ὀλιγοπιστίᾳ, spes cum desperatione, verbum denique nō satis firma fidei manu prehensum teneatur & vibretur; oportet ut in nomine Christi, vi promissionis divinæ, novum subinde auxilium Dei adversus hostes nostros imploremus, ne succumbamus in hac lucta.

12. *Cur opus sit vigilantia in huiusmodi lucta?* Quia ut in militia carnali, sic quoque in spirituali omnia sunt frustra, nisi quis excubias agat. *Matt.* 26. *v.* 40 41.

13 *Qualis sit conflictus in hac lucta?* Est certamen spirituale tentatoris & peccatoris resipiscentis.

14. *Quisnā sit tentator?* Is est bonus & malus. Ibi est Deus: hic diabolus, caro, & mūdus.

15. *Quomodo Deus tentet?* Probando, permittendo, & perdēdo. Nā filios suos electos probat 1. *Cor.* 10. 13. reprobos perdit *Deut* 13. 3. utrosq; permittit satanæ, illos cribrādos, hos pessundandos. Porrò Deus tentat homines beneficiis vel judiciis.

16. *Quomodo diabolus tentet?* Tanquā prin-

ceps spiritualis nequitiæ *Eph.* 6.12.

17. *Quomodo caro & mundus tentent?* Tanquam tentatores subsidiarii, qui diabolo, principi tentatori, suam navant operam. Et *caro* quidem est hostis domesticus & internus, qui Scripturæ dicitur homo vetus, vetus Adam, homo carnalis, peccatum inhabitans, malum adjacens, lex membrorum, &c. *mundus* autem est hostis externus, qui partim minis, partim illecebris & vanitate sua nos molestat.

18. *Qualis sit conditio peccatoris resipiscentis in hac lucta?* Ille nunc resistit, & victoriam reportat 1. *Ioh.* 2 14. nunc resistit, & succumbit, verum ita ut tandem virtute Dei erect⁹ resurgat *Prov.* 24. 15 *Ps.* 37. 24. *Gal* 6. 1. Ita lapsi sunt Noe, Loth, David, Salomon, Petr⁹, & alii Sancti.

19. *Quanam sint generalissima tentationes?* Istæ quatuor: Tentatio dubitationis, imperfectionis, blasphemiæ, & præsumtionis.

20. *Quid sit tentatio dubitationis?* Qua quis in dubium vocat ea, quæ credere tenetur. v. g. num Scriptura sacra sit verbum Dei, an Deus sit, an sit aliqua vita æterna &c.

21. *Quid sit tentatio imperfectionis?* Qua quis angitur ob imperfectionem v. g. fidei, spei, charitatis.

22. *Quid sit tentatio blasphemiæ?* Qua quis fœdas & horribiles cogitationes intra se

conci-

concipit, & cum iis colluctatur, etiam usq; ad lachrymas.

23. *Quid sit tentatio præsumptionis?* Qua quis sibi placet in suis donis, & spirituali superbia turget.

24 *Quanam sint generalia prophylactica militis Christiani?* Tria ista. *Primum:* Non tantum à peccato, quod suggeritur & suadetur, abstinere sed contrarium diligenter facere. *Secundum:* Satanæ nunquam assentiri, sive dicat verum, sive falsum; sive accuser, sive blandiatur. *Tertium:* Unam tentationem ex altera expectare, etiã tum, quando hostis, quasi actis indiciis, quiescit.

25. *Quanam sint generalia remedia lapsus in hac lucta?* Ista tria. *Primum:* Acquiescere in Dei voluntate *Secundũ:* Niti misericordia & omnipotentia Dei in Christo Iesu. *Tertium:* Cogitare, potentiam Dei perficiẽdam esse per nostras infirmitates. 2. *Cor* 12. *v.* 9 10.

26. *Quomodo profligentur quatuor generalissimæ tentationes, de quibus q.* 19. *& seqq.?* Dubitationi opponatur veritas Dei in scripturis patefacta, conscientia, & experiẽtia. Adversus imperfectionem meditemur cõditionem hujus vitæ, voluntatem Dei & conatum proficiendi. Tentationi blasphemiæ opponamus preces, gemitus & suspiria ad Deũ, & increpationem satanæ. Spiritua-

ritualem superbiam frangamus meditatione nostræ infirmitatis.

Cap. III.

De religione.

1. *Quis novit, an religio ista tua, qua toti fere mundo est exosa sit vera?* Ego hoc novi. Hæc siquidem religio est antiquissima, consolationis plenissima, sanctitate præceptorum insignissima, à diabolo & mundo semper oppugnata, at nũquam expugnata. Cedò aliam religionem, quæ his notis sit insignis.

2. *Quid sit potissimum in religione Christiana?* Vt verbum Dei viva praxi exprimam'. Sicut enim omnes artes, liberales & mechanicæ, ad praxin diriguntur: ita quoque comparatum est cum Christianismo, atque adeo religione Christiana. Praxis autem Christianismi absolvitur dilectione Dei & proximi, ex vera fide profecta.

3. *Cur Deus sinat tot esse religiones in mundo?* Conscientia hîc agnoscat occultum Dei tum judicium, tum beneficium. Iudicium est in eo, quòd Deus immittit efficaciam erroris. Beneficium est, quòd ille fidem & constantiam nostram hoc modo exercet nosque ad preces & diligentem veritatis inquisitionem excitat.

4. *An aliquis sit usus rationis humanæ in mysteriis religionis?* Est: si tanquam minister subiiciatur fidei,

5 An

5. *An in religionis negotio liceat pugnare authoritate hominum?* Non licet: quia solum Dei verbum est norma & mensura religionis, inde ab initio ecclesiæ.

6 *An religionem Christianam liceat mutare?* Veram non licet commutare cum falsa: at impuram licet cum pura. Neque enim religio Christiana semper & ubique locorum æquè est pura.

7. *Num licitum sit simulare & dissimulare in religionis negotio?* Minimè verò. Oportet enim sincerè tum profiteri, tum confiteri cultum Dei, cui es deditus.

8. *An, si magistratus cogat, licitum sit abijcere veram religionem?* N. quia magistratus non habet potestatem in cõscientiam, inprimis illam, q̃ lota est sanguine Christi.

9. *An ex solis miraculis probetur vera religio?* N. Nam ex solis miraculis sine verbo Dei nullum fidei dogma stabiliri posse docet Deus *Deut.* 13. Et sanè, si extra verbũ Dei, solis signis & prodigiis esset standum, ethnicorum idolomania, & Pseudoprophetarum atq; Antichristi doctrina universa eadem operâ sanciretur. Nam ethincorũ religio multis prodigiis est nobilitata: idẽq; de falsis Prophetis p̃dixit Christus *Mat.* 24. & de Antichristo Apostolus 2. *Thess.* 2. 9.

Cap. IV.

De Scriptura sacra.

1. *Quanam sint præstātissima hominis munia in hac vita?* Ista duo. 1. Audire Deum nobis loquentem in verbo suo. 2. Cum Deo colloqui per preces.

2. *An Scriptura V. & N. T. quam nos habemus, sit verum Dei verbum?* Affirmativam suadent sex ista testimonia. 1. Scripturæ. 2. Ecclesiæ. 3. Martyrum. 4. Miraculorū Propheticorum & Apostolorum. 5. Gentilium quorundam. 6. Spiritus S. loquentis in cordibus nostris. Cæterum Scripturæ testimonium consistit partim in verbis, partim in rebus, ut sunt divina effecta & adjuncta ipsius.

1. *An verba, versus, capita & libri Scripturæ habeant ex se & in se vim sanandi morbos, sistendi sanguinē, extinguendi ignem &c?* Non habent. Nam Scriptura S. habet hanc vim, ut sit potentia Dei ad salutem omni credēti, & reddat hominem sapientem ad salutem. *Rom.* 1. 2. *Tim* 3. Deinde literæ & syllabæ non habent efficaciam physicam aut hyperphysicam, sed duntaxat moralem, id est, ethicam & patheticam.

4. *An quilibet quolibet loco & tempore possit bona conscientia legere S. Scripturam?* Omninò: si nempe absit opinio meriti & operis operati, & adsint requisita legitimæ lectionis, ut putà precatio, devotio, humilitas, timor Domini, reverentia erga S. literas &c.

5. *An*

5 *An periclitetur de salute animæ, qui librũ apocryphum habet pro canonico, vel canonicum pro apocrypho?* Negatur: si modò corpus Scripturę non reiiciat. Deinde si ex infirmitate erret istum errorem.

6. *An liceat bona conscientia quærere de libris biblicis*, Unde scis libros illos esse θεόπνευστα? Augustinus ait culpandos esse, qui hic quærunt. Verum enimverò sciendum est, quæstionem illam, *Unde scis*, diversam esse pro diverso quærentis affectu. Aut enim est quæstio imperatis, vel saltem curiositatis: aut docilitatis. Priori sensu damnatur ista quæstio: posteriori secùs. Sicut igitur est *Quomodo Iudæorũ*, seu incredulorũ, & *Quomodo Sanctorum*, ut Abrahami, Gideonis & Mariæ: ita etiam est *Unde scis* vel fanaticorum, vel docilium & fidelium.

7. *Annon systema Scripturæ sit opus ab Ecclesia profectum?* Ecclesia non est nisi causa organica, qua usus est Spiritus S. tanquam causa architectonica. Ille siquidem ecclesiam V. & N. T illuminavit, & ipsi inspiravit, ut tot libros, & non plures, reciperet in canonem.

8. *An fide salvifica sit credendum, Scripturam V. & N. T. esse à Deo profectam?* Omnino. Nam ignoratio hujus rei est damnabilis: negatio, blasphemia & hæretica.

9. *Qua fide teneamus numerum & seriem*

librorum canonicorum, item capitum & versuum singulorum, ut nunc habentur in Bibliis? Fide historica. Neque enim ignoratio hujus rei damnat: etsi dubitatio inscitiam vel infirmitatem arguit. Si quis verò id neget, ut deroget Scripturæ, aut Ecclesiã turbet, est hæresis. Itaque negatio hujus rei facit hæreticum per accidens.

10. *An fide salvifica teneamus librum aliquem sacrũ in particulari, putà Esaiam, Matthæum &c. esse divinum?* Ita est. Nam eadem fide tenemus totum canonem esse divinũ, & singulas ipsius partes esse divinas. Itaque ignoratio hujus rei est damnabilis: negatio petulans & pertinax, hæretica.

11. *Qua fide teneamus, quod liber aliquis in particulari, putà Hoseas, sit Hosea?* Fide tantũ historica. Nam hoc credere pertinet ad scientiam, non verò ad salutem. Itaq; ejus ignoratio non damnat. Neque etiam negatio istius rei est hæresis, nisi per accidens: si nempe aliquis ideo neget prophetiam Hoseæ esse Hoseæ, ut neget esse divinam.

12. *Num aliquis fidem suam fundare possit in versione aliqua Bibliorum?* Potest: quatenus nempe videt versionem illam in dogmatibus fundamentalibus esse analogam fidei.

13. *An quia versio LXX. Interpretum in N. T citata legitur, ideo sit authẽtica?* N. Etenim illa solùm sunt sanctificata, quæ citantur.

Quod

Quod attinet ad reliqua, illa vel consentiunt cum fonte Hebræo, vel dissentiunt, idq; ideo q̃ LXX. Interpretes ante Christũ natum non habuerint tantum lucis, quantum hodie habemus; vel quod in ipsorum versione multa loca sint corrupta librariorum negligentia & inscitia; vel denique quòd Ptolomæo regi mysteria quædam Scripturæ prodere noluerint.

14. *Nũ scripta Prophetica & Apostolica eodem dignitatis loco sint habenda?* Affirmatur de re & substantia, in qua nullum est discrimẽ. Negatur, si sermo sit de rei claritate.

15. *An scriptio Prophetica & Apostolica eodẽ dignitatis loco sit habenda, quo olim habita est Dei vox?* Ita est. Nam postquã cessavit viva Dei vox, scriptio in ejus locum est surrogata.

Cap. V.

De Deo.

1. *Quomodo conscientia satisfieri possit in lucta circa Dei existentiam?* Quatuor isti testes, omni exceptione majores, producendi debent. 1. Omnes creaturæ sua multitudine, magnitudine, utilitate, excellentia, viribus, & similibus, tanquam vexillis deitatis, ob oculos nobis positis, hoc docent. 2. Oẽs nationes totĩ orbis, ẽt barbaræ, uno velut ore testãtur hoc ipsũ. 3. Scriptura V. & N. T. in singulis capitibus, oẽsq; tũ Iudæi, tũ Christiani, q̃ admittũt hãc Scripturam, testan-

testantur Deum esse. 4 Ipse diabolus hoc fatetur: ut ex oraculis Apollinis videre est. Itaq; in hoc conflictu magnum est operæ pretiũ ex diabolo, nos adoriente, taciteq̃rere, Nũ ausi asserere, nullum esse Deum.

2. *Quomodo conscientia tranquilletur in articulo de SS Trinitate?* Si clarissima Scripturæ dicta puta formulam baptismi *Mat.* 28. & orthodoxum ecclesiæ consensum & denique harmoniam hujus mysteri & libri naturæ, ubi videmus omnia esse triuna, nõ oscitanter meditetur.

3. *Utrum liceat nominibus Dei putà El, Adonai, Zebaoth, Elohim, Ehejeh &c. uti ad sanandum morbos, & mirabilia quæq; patrandũ?* N. Hæc siquidem nomina divinitus nobis sunt patefacta, ut per illa Deum laudemus.

4. *An homo possit Deum perfectè cognoscere in hac vita?* Non potest: quia licet Abrahã, Moses, & alii fuerint Deo quasi familiares: non tamen potuerunt illud assequi de ipso, quod reservavit vel suæ majestati, vel perfectioni futuræ vitæ.

5. *An homo in hac vita possit fieri deiformis, seu divinæ particeps naturæ?* ortit, nõ quantum ad essentiam, seu naturam entitativã, ut ita loquar, sed quãtum ad naturam imitativam, qua fit ut conemur per Dei gratiam imitari ejus sanctitatem, veracitatem, misericordiam &c. Huc pertinẽt dicta illa

piæ

pię antiquitatis, homines pios προφήτας, esse προφόβους &c.

6. *An liceat Deum concipere sub aliqua specie & figura, videl. senis venerandi, regis &c. ut in precibus & piis meditationib. habeat mens obiectum, in quo acquiescat?* Etsi Scriptura Deum ita nobis depingit: hoc tamen non ideo facit, ut Dei substantiam ita cõcipiamus, sed ut eminẽtiam ipsius discamus utcunque animo concipere ex rerum istarum excellentia. Itaq; non est indulgendũ imaginationib⁹ hac in re: utpote quæ sunt majestate Dei indignæ. Et verò mens nostra facilè potest pedem meditationis suæ figere in analogia seu convenientia attributorum, vel effectorum Dei, & creaturarum, à quibus petitæ sunt istæ metaphoricæ descriptiones Dei. e.g. inter rupem & Deum est analogia quantũ ad immutabilitatem. Omnia itaque de Deo dicta ἀνθρωποπαθῶς, concipienda sunt προπεπτικῶς. Verùm enimverò hîc opus est precibus, humilitate, & abstractione, non metaphysica, sed hyperphysica.

7. *Quid sit factu opus, si quando blasphemæ & absurdæ cogitationes de Deo nos molestent?* Õ fugiẽdum est ad gemitus, & diabolus mulctandus est partim increpatione, partim oblivione, quam etiam per vim à nobis impetrare oportet.

8. *An*

8. *An bona conscientiâ similitudines tritæ, quæ adferuntur ad mysterium SS. Trinitatis illustrandum, adhiberi possint?* Possunt: si non laxetur fibula curiositati.

9. *Circa quæ attributa Dei conscientia potissimum angi soleat?* Circa ipsius æternitatem, immutabilitatem, omnipræsentiam, omnipotentiam, veracitatem, sanctitatem, misericordiam, justitiam, & gloriam. Studiosè igitur oportet conquirere dicta Scripturæ, quibus ista attributa Dei asseruntur: & animus sublimādus est à rebus terrenis ad ſuper cœlestia; quę sanè infinito intervallo distant.

10. *An omnia Dei attributa debeamus imitari?* Moraliter debemus. e.g. Deus est immutabilis. Ergo nos debemus esse constantes in dictis & factis nostris. Itē: Deus est omnipotens. Ergo fides, spes & charitas nostra debent omnia posse &c.

CAP. VI.

De operibus Dei in genere.

1. AN *ullum Dei opus perfectè possimus cognoscere?* Neminimum quidem possumus. Etenim Deus in minimis suis operibus est maximus, hoc est, infinitam suam sapientiam ibi expressit.

2. *An Dei opera ad humanæ rationis calculum sint revocanda?* Nimium frequens est hoc peccatum. Opera itaque sedulò nobis

est

est dãda, ne hoc peccato nos obstringam⁹.

3. *Vtrum opera Dei debeamus imitari?* Quædam Dei opera sunt ἀμίμητα, ut creatio; quædam μιμητὰ, ut dilectio inimici, administratio ordinis &c.

4. *An liceat quærere,* Quomodo vel Quare, *quando Deus aliquid facit?* Ad primum hujus quæstionis membrum quod attinet, distinguendum est inter τὸ *Quomodo* infidelitatis & infirmitatis sive docilitatis. Vide paulò antè *c* 14. *q* 16. Rursus in quibusdam Dei operibus ratio & modus illorum est evidens, adeoq; cognosci potest: in quibusdam non item. Ibi licet quærere *Quomodo*: hîc secus. In altero propositæ quæstionis membro distinguenda sunt occulta Dei judicia à manifestis. Ibi dicendum est cum Davide: *Obmutui, non aperiam os meum:* hic æquum est, ut causam inquiramus. e. g. quando Deus nos punit ob aliquod peccatum, cujus nobis sumus conscii.

5. *An voluntatis Dei causa detur?* Vulgo dicitur, *Volũtas Dei sibi est causa.* Quod cum grano salis est accipiẽdum. Nam voluntas Dei resolvitur vel in judicium mentis ejus, vel in causam sibi subordinatam. Ibi rectè dico, Deus hoc vel illud voluit, quia sic melius judicavit: hîc Deus vult consequẽs, quia vult antecedẽs. ut Deus vult mihi dare vitã æternã, quia credo in Christũ. Itaq; quando dicitur, *voluntas Dei sibi est causa,*

hoc accipiendum est de causa αὐτεξουσίου, quæ extra Deũ non datur. juxta illud Thomæ: *Voluntas Dei ordinat, & non ordinatur.*

6 *An opera solius Dei propria interdũ possint fieri à creaturis. e g. creatio, miraculorum patratio &c?* Deus honorem suum alteri non dat, neq; potest quidem dare. Ergo nec infinitam illam potentiam, quæ requiritur ad istiusmodi opera, non potest dare creaturę. Interim adhibere potest ministerium creaturarum: ut in edendis miraculis Mosen, Eliam, Paulum Apostolum.

CAP. VII.

De decretis Dei in genere.

1. *AN Deus ab æterno fuerit otiosus?* Nũ in se ipso fuit actuosus partim generando, spirando, & emanando, partim decernendo.

2 *An decretum Dei sit immutabile?* Sic est. Fieri enim nequit, ut ille, qui est ipsa sapẽtia & immutabilitas, aliquid statuat, quod opus habeat retractatione. Rursus fieri non potest, ut ille, qui est ipsa omnipotentia, aliquid decernat, quod ab alio impediri possit.

3. *An non precibus & sanctitate sua homines possint movere Deum, ut mutet decretum suũ?* Minimè. Nam preces, & bona opera, sunt media subordinata decreto Dei, & proinde ex illo fluunt, non verò illud mutant.

4. *An, quia Deus omnia decrevit ab æterno, frustra*

frustra sint preces, cura & similia? N. Nam Deus decrevit alia immediatè, alia mediatè peragere.

5. *An licitum sit petere à Deo, ut nobis revelet decretum suũ v. g de termino vitæ, de exitu belli &c?* O. dinariè non licet. Neque n. hoc pertinet ad salutem nostram vel aliorum. Extra ordinem licet: si nempe aliquis sentiat, se divinitùs vocari, ut hominibus aliquid revelet.

Cap. VIII.

De providentia Dei.

1. *An Deus ab æterno provideat, non solùm prospiciendo, sed etiam disponendo & determinando omnia & singula?* Ita est: ut patet è libro Scripturæ *Psal.* 115. 3. *Esa.* 49. *v.* 9. 10. *Mat* 11 *v.* 25. 26. *Ro.* 9 18. *Eph.* 1. 11. *Apoc.* 4. 11. & Naturæ, quæ dictat, sapientis esse constituere quò & quà dirigat actiones suas; & proinde Dei, qui est ipsa sapientia, propriũ esse, præstituere fines omnium rerum, & constituere idonea media. Hinc quòd Ulysses, variis jactatus calamitatibus, apud Homerum ὀδυσσ. 8. sic ait:

Αὐτὰρ ἐμοὶ τὰ φίλεσκε, τὰ ποῦ
Θεὸς ἐν φρεσὶ θῆκε. i. e.

Caterùm acquiescebam in illis, quæ Deus in animo suo constituerat Quò pertinet illud Socratis apud Xenophõtem: An putas oculum tuum ad multa passuũ millia per-

pervenire posse, divinum oculum impossibile esse simul omnia conspicere: aut tuã animam de iis, quæ apud diversas regiones geruntur, posse cogitare: divinã providentiam non posse simul omnia curare? Vide plura in hanc sententiam apud Platonem, Aristotelem, Ciceronem, Senecam, & alios ethnicos: qui multis Christianis palmam præripiunt ut in aliis, ita quoque in hoc doctrinæ capite.

2. *An aliquid fiat casu?* Quod nobis est improvisum, cujusq; ratio & causa nobis est incognita, id vocamus casum. Sed Deo nihil est contingens, nihil fortuitum.

3. *An Christianus bona conscientia possit uti vocabulo* Fortuna? Non potest, si quidem eo significetur cæca illa ethnicorũ dea, vel nescio quid, quod excludit Dei providentiam. Alias si fortunæ vocabulo significentur opes, tolerari & usurpari potest.

4. *An vox* Natura *rectè usurpetur à Christianis?* Pleriq; abutuntur hoc vocabulo, nõ aliter atq; si natura sit numen Deo oppositum? Quæ certè est impietas. Rectus autẽ usus est, si natura habeatur pro vi Dei ordinaria, cuilibet rei creatæ in prima creatione implantata.

5. *An nihil tam sit minutum, quod non cadat sub Dei providentiam?* Ita est. Nam pediculi *Exod.* 8. formicæ *Prov.* 6. passerculi *Matt* 10.

ara-

aranex *Iob.* 8 *v* 14. sunt Deo curę, & ab ipso reguntur. Idem est judicium de turpibus & noxiis animalibus: putà corvis *Ps.* 147. ursis 2. Reg. 2 locustis, serpentibus &c. *Exod.* 8. *Num.* 21. *Ioel* 1.

6. *An providentia Dei subsint omnia omnino eventa?* Sicut in omnibus & singulis creaturis, ita quoq; in omnibus & singulis evētis, casibus, mutationibus, & jactationib⁹ generis humani elucet Dei providētia. Vide *Ps.* 107. & passim historiam sacram.

7 *An providentia Dei subsint peccata?* Sic est. Etsi n. Deus non est illorum autor & fautor, est tamen illorum ordinator & ultor: ut docet historia Pharaonis.

8. *Annon oscitet providentia Dei in deformibus, gibbosis, mutilis, monstrosis, morionibus, & similib⁹ hominib. ad risum quasi factis?* Minimè verò. Nam Deus hæc specula miserię humanæ nobis obiicit, ut ipsius liberrimā dispensationem agnoscamus, & clementiam erga nos celebremus.

9. *An non possimus peccatis nostris prætexere necessitatem, quæ oritur ex decreto providētia?* Non possumus: quia necessitas illa non destruit naturam voluntatis, nec ipsi vim facit, sed illam sinit liberè peccare.

10. *Cur Deus velit fermè malis benè, & bonis malè esse in hac vita?* Quia felicitas temporalis sive mundana est propria filiorum

liorum hujus seculi; & miseria temporalis prodest filiis Dei.

11 *Cur Deus sæpe puniat peccata patrum in filiis, filiorum in parentibus, magistratuum in subditis?* Quia vel occasionem puniendi sumit ex istis peccatis; vel cõmunicationem aliquam invenit inter istos.

12. *Quò referenda sit doctrina de Dei providentia?* Ad Dei gloriam, nostros mores, & cõsolationes. *Primus usus* est primarius, & in eo vertitur, ut Deo tribuamus laudem omnipotentiæ, justitiæ & misericordiæ. *Secundus usus* est in universa nostra vita, ut discamus nos subjicere Deo, eum reverearmur, & in pietatis ac vitæ sanctæ studium unicè incumbamus. *Tertius usus* est, ut ex hac ipsa fide de providentia, contra omnis generis tentationes, publicas & privatas, corporales & spirituales &c. dulcissimas certissimasq; consolationes petamus.

Cap. IX.

De prædestinatione.

1. *CVr Deus non omnes in Adamo lapsos, à lapsu liberaverit, & ad vitam æternam ordinaverit?* Quia sic voluit. Voluit autem: quia melius hoc judicavit.

2. *An homo luctans, sit à Deo ad vitã æternam electus?* Affirmatur: si nempe credat in Christum, & sentiat atq; deploret defectus suos, & luctetur cõtra carnẽ, & gratiã Dei

in

in Christo esuriat atque sitiat, & Deum ardenter cum gemitu invocet, & minimam Dei gratiam maximi æstimet, deniq; Deũ & proximum magis ac magis amare studeat. Hæc n sunt infallibilia γνωρίσματα electionis ad vitam æternam, seu inscriptionis in librum vitæ.

3. *An homo in hac vita possit esse planè certus suæ salutis?* Ita est. Nam qui credit in Filium Dei, habet testimonium in seipso. Qui non credit Deo, mẽdacem eum facit, quia non credidit testimonio, quod testificatus est Deus de Filio suo Est autem hoc testimonium, quòd vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in Filio ejus est, 1. *Ioh.* 5. Confer *Rom.* 8. 38. *Gal.* 2. 20.

4. *Vnde nobis innotescat separatio nostri è perdita massa generis humani?* Ex odio peccati, & studio sanctimoniæ. *Ioh.* 15. 19.

5 *An doctrina de prædestinatione sit inculcanda infirmis?* Omninò: verùm ita, ut non ablegentur ad nubes, vel in abyssum aliquam, vel penetralia & abdita consiliorum Dei, ut inde electionis suæ notitiam & certitudinem discant: sed ad verbum Dei, quod est prope nos, & in quo Dominus totum illud suum consilium de nostra electione & redemtione, totamque salutis nostræ œconomiam nobis revelavit. In hoc libro aperto, in Evangelio nimirum

prędicato, recognoscamus electionem nostram, sive infirmi simus, sive perfecti: & statuamus, si credimus in Dei Filium, & invocamus nomen Domini, nos esse ex numero electorum. Hæc enim est Dei voluntas, ut omnis qui credit in Filium, habeat vitam æternam.

6. *An ex fide debili aliquis possit concludere electionem sui ad vitam æternam?* Quidni? Nam etiam illi sunt electi & beati, qui tentationem tolerant: quoniam postquam probati fuerint, coronam vitæ accipient: modò fortiter luctentur & non succumbant. Languida profectò fuit fides Iobi, quando multæ alienæ voces ipsi exciderunt. Languida & quasi emortua fuit fides Davidis adulterium committentis. Languida fuit fides Petri Christum abnegantis. Omnes autem infirmitates illas sanavit is, de quo David *Psalm.* 103. *Qui remittit omnes iniquitates tuas, & languores tuos omnes sanat.* Denique magna erat omnium Apostolorum ὀλιγοπιστία, quam non semel eis obiicit Christus. Sed idem hanc ipsis gaudii & bonæ spei occasionem proponit, quòd eorum nomina scripta essent in cœlis: & piis omnibus paratum regnum à jactis mundi fundamentis. *Luc.* 10. *Matthæi* 25.

6. *Si ex Dei electione fides fluit, annon excu-*

sen-

cusentur infideles? N. Etenim Deus liberè dat fidem, quibus dare vult: & non dat, quibus nõ vult dare. Quòd autem illi sunt & manent infideles, id non est à Deo, sed ab ipsis: utpote qui in seipsis & ex seipsis sunt perditi.

7. *Cur Deus non det omnibus fidem?* Hîc uelis nolis recurrendum est ad propositum & consilium voluntatis DEI, quod Paulus Rom. 9. proponit tanquam basin gratuitæ electionis. Ibi ergo demum subsistendum est: nam eò usque nos Scriptura deducit: ac merito piis mentibus in DEI voluntate acquiescendum est, & cum Apostolo statuendum 1. Deum nonmi ùs potestatem habere, quàm figulum. 2. Illum rectè uti sua potestate. 3 In causas voluntatis ejus, quas ille habet intimè notas, nobis inquirendum non esse.

8. *Annon doctrina illa de electione concilier Deo odium apud hominem?* Apud hominem Dei minime. Quod attinet ad filios hujus seculi, Evangelium ipsis est odor mortis ad mortem.

9. *Annon homines electi possint liberè peccare: quia si electio est immutabilis necesse est ut electi salventur, quantumvis in peccatis strenuè pergant.* N. Nam quicunque sunt

electi, electi sunt ad fidem & bona opera.

10. *An non homo possit seipsum eligere & reprobare, si credat vel non credat?* N. Nam Deus scripsit nomina electorum in libro vitæ, & elegit ipsos ut crederent. Similiter Deus reprobavit quosdam à salute & fide: quibus nempe noluit impendere suam misericordiam.

11. *Quomodo doctrina de electione & reprobatione simplicissimè possit proponi?* Hoc modo. Deus ab æterno, juxta propositum & consilium voluntatis suæ, quosdam in Adamo lapsos selegit, quibus daret vitam æternam, per fidem, propter Christum: quosdam verò in miseria, in quam prolapsi erant in Adamo, reliquit.

Cap. X.

De creatione.

1. *NVm angelus, vel homo possit aliquid creare, id est, ex nihilo, vel ex materia inhabili, producere?* N. Nam ad hujusmodi actionem requiritur vis infinita: quæ est solius Dei. Et verò implicat contradictionem, si quis dicat, creaturam posse creare: cùm ipsius proprium sit, creari.

2. *An Deus creaverit infernum, id est, pœnam sive carcerem præparaverit ante peccatum?* Cum scholis dicerem, Deum creasse, ut impium & diabolum, ita quoque infernum,

fernum, materialiter, non formaliter. Materiale inferni est ipse locus: formale, est locus damnatorum.

3. *An Deus plures mundos condiderit?* N. Nam ut Christus est redemtor unius mundi: sic Deus est creator unius mundi.

4. *An quæ de Paradiso, arbore vitæ, & similibus ad Paradisum pertinentibus, recensentur, sint mera allegoria?* N: Etenim Moses texit historiam, non verò proponit allegoriam: ut patet ex contextu, & serie totius libri.

5 *An Deus hodieq; creet?* Sanè. Nam producit animas hominum è nihilo; & continuè benedicit terræ, aquæ, & iis quæ nascuntur ex terra & aqua; denique ex in disposita materia producit aliquid, quoties opus est.

6. *Cur Deus non condiderit omnia æquè bona, perfecta & constantia?* Quia sic ei placuit. Et sanè proportio geometrica, quam Deus in prima creatione expressit, valde commendat hoc ipsius opificium.

7. *An sabbatum illud, quo Deus quievit die septimo, sit exemplar sabbati perpetuum, vel temporarium?* Posterius affirmatur. Nam sabbatum Iudæorum, non solùm habuit creationis absolutæ recordationem, sed etiam fuit typus quietis sive sabbati Christi in sepulchro. Proinde quies illa sive sabba-

tum Dei *Genes.* 2, non fuit exemplar perpetuum sabbati ab hominibus observandi in Ecclesia. Interim recordatio illa creationis, isto die absolutæ, hodie quoque illo ipso die recoli & observari potest à pia mente, & verò debet: videl. privatim.

Cap. XI.

De gubernatione mundi in genere.

1. CVr Deus omnia gubernet, cùm possit illa sibi ipsis relinquere? Quia non est eadem hujus mundi & creaturarum in ipso conditio, quæ alicujus domus, quam architectus à se extructam deserit. Deinde Deus est & architectus, extruens domum, & paterfamilias, illam conservans.

2. *Cur Deus tantam in hoc mundo omnium rerum confusionem esse sinat?* Quia in media confusione ipsi placet servare pulcherrimi ordinem, atque ita, more suo, contraria ex contrariis, utputà lucem è tenebris, producere. Deinde nihil est confusum in oculis Dei: sed omnis illa cõfusio est κατ' ἡμᾶς, & quidem pœna nostræ ἀπαιδίας.

3. *Annon sit Deo indigna rerum minutarũ, malarum, & turpium gubernatio?* Minimè. Nam ille, qui creavit minuta, non minuitur per curam minutorum. Deinde mala gubernantur à Deo, modo & fine optimo. De turpibus idem est judicium.

4. *Cur Deus in gubernatione mundi non re-*

duca

ducat omnia ad æqualitatem, ita ut bonis benè, & malis malè sit? Quia hæc talis reductio reservatur alteri seculo.

5. *An non Deus sit autor peccati, quando non solùm decernit ab æterno, sed etiam in tempore permittit, ordinat, dirigit, & determinat omnia omnium angelorum & hominum peccata?* N. Etenim Deus hæc omnia facit sanctè, tanquam judex, occulto judicio indurans, excæcans, in sensum reprobum tradēs &c. negando videl. gratiam suam, & varias occasiones obiiciendo.

6 *An non providentia Dei suadeat otium & ignaviam?* N. Nam qua providentia Deus te & familiam tuam fovere constituit, eadem constituit & labori tuo benedicere, & agro tuo, si juxta ejus præceptum in sudore vultus tui gnaviter agas, quæ sunt vocationis tuæ, ante omnia timens Deum, sperans in ipso, & nomen ejus invocans.

Cap. XII.

De Angelis: ubi de spectris.

1. NVm *Angeli habeant corpora?* Non habent. Sunt enim spiritus meri, non gaudentes societate corporis, ut anima hominis. Itaque cavendum est ab impostura satanæ, qui hominibus superstitioni deditis persuadet, angelos habere corpora ignea, aërea &c.

2. *An, & quomodo amicitia & familiaritas cum sanctis angelis possit ac debeat iniri atque coli?* Tres sunt gradus huc ad rem necessarii. 1. Diligendus & colendus est Deus, dominus angelorum, & orandus, ut nobis adjungat sanctos angelos, qui nos portent in manibus suis. 2. Reverens opinio, eaque vera, concipienda est de persona & officio sanctorum angelorum. 3. Vivenda est vita angelica, quantum finit hujus vitæ imperfectio.

3. *An sancti angeli sint invocandi?* N. Hic n. est cultus soli Deo debitus. *Mat.* 4. Proindè ἀγγελολατρεία est εἰδωλολατρεία.

4 *An Deus sit orandus, ut nobis præficiat angelum in forma visibili?* Ordinariè hoc non est audendum.

5. *Quomodo profligetur diabolus?* Non suffitu, herbis consecratis, clangore campanæ, gemmis magicis, aqua lustrali gladio evaginato, murmure verborum, & similibus nugis: sed precatione, fide in Christum, & vitæ sanctimonia.

6 *Quid factu sit opus, si diabolus corporaliter obsideat hominem?* Homines pii, tũ publicè, tum privatim, debent istius energumeni calamitatem Deo cõmendare precibus. Et si quis extra ordinẽ sentiat se vocari à Deo, ut munus exorcistę obeat, intrepidè in nomine Christi expellat impurum spiritum.

7. *Cur*

7. *Cur pij aliquando illusionibus & vexationibus diaboli sint expositi?* Deus id dispensat, ut filios suos castiget, vel probet, & aliis obiiciat speculum suæ liberrimæ potestatis, & tyrannidis diaboli. Teneatur hic illud Tertulliani: Aut ex causa probationis conceditur ei (diabolo) jus tentationis: aut ex causa reprobationis traditur ei peccator, quasi carnifici, in pœnam, velut Saul.

8. *Quid nobis faciendum sit, quando diabolus præstigiis suis fallit & deludit sensus nostros internos vel externos?* Confugiendum est ad preces; & si forte instet veterator ille, contemnendus est ipsius lusus.

9. *An credendum sit, diabolum posse excitare ventos, pluvias, & similes tempestates?* Sanè. Potest enim hoc præstare, mediantibus causis naturalibus, Deo permittente. Potest autem nec ordinariè, nec quoties & quantum ipsi libet, sed ex potestate à Deo sibi extra ordinem ad tempus concessa. Cæterùm quid & quantum diabolus possit, abundè docet historia Iobi.

10. *Quid sit statuendum de motu magorum & lamiarum per aërem?* Latio ista interdum fit revera, putà quando homines isti infelices abripiuntur ad solēnes & ordinarias suas panegyres: interdum imaginariè, in somno videl. profundo, quando nempe

extra illa sua festa se jactant peregrinari per aërem.

11. *An magi & lamiæ inter Christianos committant peccatum in Spiritum sanctum?* Opus est distinctione. Nam qui seducuntur & resipiscunt, non peccant in Spiritum sanctum. Secus illi, qui in hoc peccato perseverant, sive sint seducentes, sive seducti.

12. *An spectra interdum revera videantur & audiantur?* Ita est. Id enim docet quotidiana experientia. Deinde hæc opinio pervagata est apud omnes gentes. Quò pertinet historia *Matth.* 14. *& Luc.* 24. Porrò historia tum sacra, tum ecclesiastica, tum denique profana hoc ipsum confirmat. De sacra historia vide 1. *Sam.* 28. 2. *Sam.* 5. 1. *Paral.* 14. 2. *Reg* 6. *&* 7. *Dan.* 5. 2. *Maccab.* 3. *&* 10. Cæterùm hìc istæ cautiones sunt observandæ. 1. Melancholici & furiosi multa sibi imaginantur, quæ revera non sunt. 2. Meticulosi homines sæpenumero fingunt, se spectra videre & audire. 3. Qui sunt imbecillo visu & auditu, imaginantur sibi multa quæ revera non sunt. 4. Multi terrent alios ut putent se spectra vidisse vel audivisse. 5. Multi homines nequam simulant se spiritus esse. 6. Multæ res physicæ pro spectris habentur.

13. *An anima à corporibus separata, in*

his

his terris oberrent? N. Nam neque fidelium, neque infidelium animæ in hac terra oberrare possunt, postquam semel à corporibus fuerunt sejunctæ. Non illorum: quia sunt in patria. Non horum: quia sunt in carcere.

14. *Utrum diabolus specie fidelis hominis alicui apparere possit?* Sanè. Nam hoc modo vel se transfigurat in angelum lucis, ut alios decipere possit: vel fidelem istum hominē, cujus speciem mentitur, gravat suspicione.

15. *Cur diabolus interdum homines jubeat facere quæ bona sunt, & vitare contraria: & cur interdum vera dicat?* Ad suam utilitatem hæc facit: in hunc nempe finem, ut dictis suis fidem conciliet; utque res alias hominibus obtrudere, eosque in errores varios inducere ac præcipitare possit: quò, neglecto Dei verbo, spiritibus istis aures præbeant.

16. *Cur Deus sinat spectra apparere?* Ut suos fideles exerceat, & infideles puniat. Deinde hoc modo homines præposteri adducuntur, ut fateantur, velint nolint, quòd diabolus sit. Multi enim nunquam credituri essent bonos vel malos angelos esse, nisi reipsa aliquando experirentur.

17. *Quare Deus fragores insolitos, & intonditos strepitus, ante insignes mutationes, & aliâs*

sinat audiri? Id fit in bonum fidelium, & pœnam infidelium. Illi siquidem admonentur, hi terrentur & turbantur. Deinde Deus hoc modo ostendit, nihil temerè fieri, sed vitam, mortem, res secundas & adversas in sua manu positas esse.

18. *An boni angeli etiam sint authores spectrorum?* Utique. Nam aut apparent electis in forma eleganti & augusta, eisque assistunt: aut apparent reprobis in forma terribili. Plerumque tamen mali angeli sunt autores spectrorum nocturnorum & terrificorum.

19 *Quo pacto Christiani, quibus spectra apparent, se gerere debeant?* Primùm debent esse forti animo, & firmi in fide. Nam si boni sunt angeli, qui se ostendunt, bono nostro mittuntur à Deo: si verò sunt mali, non possunt nobis, quantumvis cupiant, absque Dei permissione mala inferre. Naturale quidem est, ut cùm hæc nobis offeruntur, exhorrescamus. Sed non oportet animo concidere: tum quia hæc fiunt Deo permittente, tum quia Christus vicit cacodæmonem. Deinde oportet precibus insistere, itemque jejuniis, sobrietati, vigiliis, & veræ pietati studere. Præterea intercessiones & preces Ecclesiæ in hoc casu sunt utiles.

20, *An sint conferendi sermones cum spiri-*

tibus

tibus, qui apparent? Non facilè. Nam si boni sunt, ultrò invitabunt ad collocutionem: si verò mali, mendaciis te fallere conabuntur.

21. *An crucis signum habeat vim aliquam in fugandis spectris?* Usitatus mos fuit apud veteres ad occursum harum rerum se cruce munire: non quòd externo crucis signo tantam vim & efficaciam adscripserint, (superstitiosum enim hoc esset) sed cruci, hoc est, merito Christi; cujus dignitatem & efficaciam in memoriam sibi revocarent hac ceremonia. Itaque signum illud crucis vi operis operati nihil potest aut prodest: sed solùm adhibetur à fidelibus ut memoriale crucis Christi.

22. *An spectra sint pellenda diris & execrationibus?* Non Ista enim formaliter & intrinsecè mala sunt. Gratius nihil potest accidere diabolo, quàm si quis diris & execrationibus utatur. Simulat se his rebus abigi, sed interea se apud illos homines invisibiliter insinuat.

23. *Quid sit opus facto si domus aliqua infestetur à spectris?* Opus sunt preces, firma fides, & contemtus ludibriorum satanæ. Quòd si possessor aut habitator sit pusillanimis, consultum est ut migret.

Cap. XIII.

De gratia primi hominis.

1. *Quomodo doctrina de primi hominis creatione conveniat cum doctrina prædestinationis? Si enim verum est, totum genus humanum victurum fuisse coram Deo, in summa justitia & sanctitate, adeoque consecuturum fuisse vitam æternam, si Adam non fuisset lapsus: sine contradictione videtur falsum esse, quod Scriptura tradit, Deum ante jacta mundi fundamenta, aliquos elegisse & reprobasse. Nam juxta priorem sententiam, omnes homines essent conditi ad æternam salutem, & nemo rejectus esset ab æterno. Quomodo, amabò, hæc conciliari possunt?* Oportet hîc distinguere inter propositiones categoricas & hypotheticas. Certum est, si Adam non peccasset, ejus originalem justitiam in posteris fuisse propagandam, ideoque illos omnes victuros fuisse. Sed totum hoc hypotheticum est. Deus autem prævidit omnes peccaturos. Quibusdam igitur decrevit præparare gratiam redemtionis, quibusdam non item. Cum electione igitur & reprobatione non pugnat doctrina de gratia primi hominis. Nimirum gratia primi hominis, seu gratia creationis, non fuit immediatè conjũcta cum gloria vitæ æternæ. Secus se habet gratia redemtionis in Christo.

2. *Cur Deus primum hominem condiderit labi-*

labilem? Non dubium est, quin potuerit, si voluisset, avertere diabolum ab homine: vel etiam, omnes angelos & primum hominem ornare dono perseverantiæ. Verùm enimverò vidit sapientissimus opifex, satius esse, lapsum hominis permittere, quàm impedire.

3. *Cur Deus tam brevem voluerit esse felicitatem primi hominis?* Et hoc latet in thesauris sapientiæ Dei.

4. *An homo post lapsum possit postliminio recuperare sapientiam Adami, per assistentiam angeli, vel aliquam medicinam?* Non videtur. Etsi enim angeli boni hominem possint imbuere singulari scientia: & rursus, licet medicina, quæ dicitur, catholica, plurimum conducat ad lumen naturæ acuendum: tamen in hac vita non datur pertingere ad illum scientiæ gradum, qui erat in statu innocentiæ. Nam innocentia est fundamentum sapientiæ istius originalis.

5 *An rectè faciant, qui lapsum primi hominis deplorant, desiderio sapientiæ & iustitiæ originalis?* Ita est: si modus hac in re servetur. Nã omne peccatum est deplorandum. Sed desiderium illud sistet gratia redemtionis.

Cap. XIV.

De peccato.

1. *AN primus homo sit à Deo creatus hoc fine, ut laberetur?* N. Creavit enim

enim Deus hominem ad suam imaginem, ut ab eo agnosceretur, & coleretur. Hoc fine homo excidit sua culpa. Deo autem isto fine non excidit: quia illum intendit cum cõditione, si homo retineret imaginem sibi impressam.

2. *An homo sit lapsus, Deo spectante tantùm, non autem disponente, aut ordinante, aut simpliciter nolente?* N. Nam Dei providentia regũntur, ordinantur, & disponuntur omnia. Impertinenter itaque hoc simile à quibusdam adfertur in hac materia: ita Deum spectasse lapsum hominis, ut si quis cursum aquæ sponte currentis detorqueat ad aliquem agrum: quamvis non ipsi fluvio impetum dederit. Nam hoc pacto sequeretur, multa fluere & fieri sine providentia, voluntate, & decreto Dei, & in ejus potestate non esse omnia, sicut cursus aquæ in nostra potestate non est.

3. *An peccatum originale sit causa sufficiens morborum, & mortis tum temporalis, tum æternæ in infantibus?* Ita est. Nam quicunque in Adamo peccarunt, exciderunt gratia creationis, & proinde versantur in statu peccati. Quicunque autem est in statu peccati, est reus mortis æternæ & temporalis: quidquid etiam ratio corrupta contrà disputet.

4. *Quid inprimis nos debeat avocare à peccato?*

cato? Ista tria. Quòd peccatum sit. 1. Turpitudo omnium turpissima. 2. Noxa omnium nocentissima. 3. Stultitia omnium maxima. Etsi verò omne peccatum est pura puta stultitia, septem tamen insigniora sunt hujus stultitiæ genera, hoc modo. *Prima stultitia* est, non credere esse Deum. *Secunda* est, hominem pluris æstimare quàm Deum. Id autem fit, quando hominem magis timemus aut diligimus quàm Deum, & in homine magis quàm in Deo confidimus. *Tertia stultitia* est, sperare vel potiùs somniare, vitæ hujus nimis q̃ caducæ, nescio q̃ diuturnitatem: vel, ut rectiùs dicam, sibi imaginari, se perpetuò his in terris victurum. Quæ certè stultitia omnium, propè dixerim, mortalium corda occupat. Nemo enim est, qui non speret se annum saltem supervicturum. *Quarta stultitia* est, ignorare cur vivas. Videas enim alios prorsus ignorare, cur à Deo sint collocati in hoc mundo: alios, falsum sibi propositum habere finem; putà mercatorẽ, ut ditescat; opificem, ut artem suam factitet &c. Verus autem finis vitæ nostræ est, ut Deum celebremus, & cum ipso beati in æternum vivamus. *Quinta stultitia* est, de hominis felicitate & miseria judicium ferre ex statu ipsius externo, id est, ex rebus secundis & adversis. *Sexta stultitia* est, hostibus.

stibus suis potiùs fidem habere quàm amicis. Hostes autem nostri sunt diabolus, caro, & mundus. Horum consilia libentes & frequentes audimus, sequimur, exequimur. *Septima stultitia* est, videri sibi magnæ sapientiæ esse præditum, cùm interim multiplicis stultitiæ morbo laboremus.

5. *An peccatum regnans cadat in regenitos?* Peccatum regnans simpliciter dictum cadit in solos infideles: utpote qui sunt servi peccati. Alioquin etiam usu venit, ut ad tempus peccatum aliquod regnet in electis; quando videl. caro prævalet, & spiritus succumbit.

6. *An peccatum aliquod coram Deo sit veniale, formaliter & intrinsecè, hoc est, ex natura sua?* N. Nam omne peccatum, etiam minimum, sua natura meretur mortem æternam. *Ezech.* 18. 20 *Matth.* 6. 23. Omne tamen peccatum, etiam maximum, fit veniale, ex gratia & misericordia Dei propter Christum. Deinde peccatum parvum dicitur veniale, vel in comparatione ad peccatum grande, vel judicio hominis.

7. *An peccata actualia sint paria?* N. Nam peccata sunt contra conscientiam, vel non: spiritualia, vel carnalia: per se, vel per accidens: graviora, vel leviora: extra corpus, vel in corpus proprium: remissibilia, vel irremissibilia: occulta, vel manifesta:

con-

contra Deum, vel hominem: affectata, vel inconsiderata: clamantia ad Deum, vel non.

8. *An omne scandalum sit fugiendum?* N. Etenim scandalum acceptum, cum vel recta doctrina, vel cruce nostra, vel necessario facto, hypocritæ offenduntur, est nobis negligendum, exemplo Christi. Huc pertinet regula: *Scandala infirmorum sunt cavenda; Pharisæorum, negligenda.*

9. *An fideles interdum peccent contra conscientiam?* Sanè. Nam interdum fit, ut sciētes Dei voluntatem, ex proposito contra eam faciant.

10. *An prorsus sola faciat peccatum?* N. Etenim multa sunt peccata ignorantiæ & infirmitatis.

11. *An peccatum in Spiritum sanctum committatur à solis & omnibus apostatis?* N. Nam peccatum in Spiritum sanctum est, quando abnegatur, aut oppugnatur veritas divina, destinato consilio, postquam mens edocta & convicta est testimonio Spiritus sancti de veritate. Committitur itaque non solùm ab iis, qui veritatem antè sunt professi: sed etiam ab illis, qui eam nondum sunt professi. In primorum numero sunt apostatæ, non quivis, sed qui toto corde à fide vera defecerunt, ita ut eam damnent, & blasphement, & perti-

pertinaciter persequantur, uti fecit Iulianus apostata. In posteriorum autem numero olim fuerunt Pharisæi & Scribæ *Matth.* 12. *Marc.* 3. & hodiè multi sunt in Babylone Europæa, qui doctrinam Ecclesiæ reformatæ insectantur ex odio & malitia destinata.

12. *An actiones moraliter bonæ in hominibus non-renatis sint peccata?* Non per se, sed per accidens sunt peccata: quia non fiunt ex fide.

13. *An actiones adiaphoræ interdum sint peccata?* Sanè: si nempe fiant cum scandalo.

14. *An qui uno peccato se contaminat totius legis fiat transgressor?* Rectè dicitur: Quinum decalogi præceptum violat, transgreditur totam legem, non verò totum legis. Hoc nempe est, quod *Iacobi* 2. 10. dicitur, qui in uno offendit, omnium esse reum: quia scil. nihil illi prodest, reliqua servasse. Neque enim omnia servavit, uti debebat.

CAP. XV.

De Lege Dei.

1. *AN Lex moralis tantùm mores externos formet?* N. Nam informat totam hominis naturam, in intellectu, voluntate, affectibus, & viribus omnibus. Itaque angustior & languidior videri possit appellatio ista, qua hæc legis species dicitur moralis.

2. An

2. *An lex ceremonialis & judicialis in veteri populo fuerit norma obedientiæ Deo placentis* ? Quia lex moralis non externam tantum obedientiam, sed etiam internam postulat; ceremonialis autem & judicialis de externa tantùm obedientia loquuntur: videri alicui possit, duas istas legis species nullius fuisse momenti; quia opera illa externa sine interna & morali obedientia Deo non placent. Sed sciendum est, in ceremoniis Leviticis duo fuisse; significationem typicam, in Christum, & ordinem decentem in Ecclesia: in forensibus autem legibus hoc fuisse præcipuum, ut instar sepis munirent decalogum, & ejus essent executio, Hæc itaque placuerunt Deo: quatenus nempe profecta fuerunt ex fide, & comitem habuerunt, vel potiùs anteambulonem, obedientiam internam. Hinc Deus tantoperè invehitur in sacrificia Iudæorum, quibus illi perfungebantur cum opinione cultus, ex opere operato. Teneatur itaque regula: *Ceremonalia & forensia inserviunt moralibus, tanquam pedissequæ suæ reginæ.* Hinc lex moralis Iacobo dicitur regia.

3. *An Christus tulerit novam legem* ? Negatur de lege morali: affirmatur de lege ceremoniali, in baptismo & sacra cœna. Deinde Evangelium interdum dicitur lex

nova.

nova, lex gratiæ, lex fidei. Et hanc legem Christus non primus sancivit, sed illustriorem reddidit.

4. *An dentur consilia quædam evangelica?* Vulgo tradunt tria consilia evangelica, de perpetua continentia, spontanea paupertate, & obedientia regulari. Verùm enim verò consilia ista sunt pura puta præcepta, si recte accipiantur. Nam qui habet donum continentiæ extraordinariæ, obligatur ad illius doni custodiam. Et quoties gloria Dei postulat, debemus omnia nostra deserere. Deniq; omnes inferiores debēt superioribus suis obedire juxta regulam verbi Dei. Hactenus itaq; habemus non consilia, sed præcepta. Si tamen dextrè accipiatur vox *consilij*, sanè dici potest, dari quædam consilia evangelica, e. g. non est præcepti, sed consilii, ut aliquis rigidiorem aliis vitam vivat, more Iohannis Baptistæ.

5. *An aliquis eò perfectionis possit pertingere in hac vita, ut servet legem moralem?* Minimè. Nam hæc perfectio est futuræ vitæ propria.

6. *An exempla interdum obtineant vim legum aut præceptorum?* Non omnia expressis legibus aut præceptis in Scriptura sacra continentur: sed multa exemplis piorum Dei cultorum proponuntur, quæ cum jure naturæ & divino apprimè conveniunt. Atque

que in hoc casu exempla obtinent vim legum & præceptorum. Sic v.g. lex Mosis nihil præcipit de tutoribus vel curatoribus. Exempla tamen hujus rei occurrunt 2. *Reg.* 10. 1. & *Esth.* 2. 7.

7. *An lex moralis apud Mosen sit immutabilis simpliciter?* Lex moralis aut simpliciter est moralis, aut certo modo composita vel cum forensi, vel ceremoniali, vel cum utraque simul. Quidquid est simpliciter morale, illud est juris communis & perpetui. Id verò, quod accedit ad morale, aut est immutabile, aut mutabile, pro natura videlicet forensium & ceremonialium: ut patebit è seqq. Sic v.g. præceptum quartum decalogi est morale, ceremoniale, & judiciale. Illud est de sanctificatione certi diei: istud, de sanctificatione septimi diei: hoc, de abstinentia ab omni prorsus labore, itemque de pœna capitali in transgressores irrogata. Primum est immutabile: reliqua duo secus.

8. *An ceremonialia Vet. Test. omnia in solidum sint antiquata?* Ceremonialia ista duplicis sunt generis: alia typica, adeoque propriè talia; alia ordinis. Typica iterum fuerunt, aut præteritarum rerum recordationes, ut pascha, æneus serpens, asservatio mannæ: aut rerum futurarum significationes, ut sacrificia. Ordinis fuerunt, quæ

tempus,

tempus, locum, personas, actiones, modum, & circumstãtias similes circa cultum Dei publicum, adeoque in politia ecclesiæ externa definierunt. Quod attinet ad typica, illa prorsus expirarunt unà cum excidio politiæ Mosaicæ per Titum. At in ceremonialibus secundi generis jus particulare, species, & hypothesis, quæ ad Iudæos propriè pertinuit, sublata est; manent genere, thesi, & jure communi seu universali, quod concernit ordinem & politiam Ecclesiæ externam. Sic sabbato, festis, & sacerdotibus Iudæorum cessantibus; analogicè tamen Ecclesia Nov. Test. diem dominicum, sua festa, suos conventus Ecclesiasticos, sua loca, personas sacras sacrosque ritus servat; non quidem ex necessitate quadam, ut Iudæi, sed ex libertate Christiana.

9. *An forensia Mosaica hodiè obligent conscientiam nostram?* Quatuor sunt classes istorum forensium: de quibus totidem sunt conclusiones. *Prima conclusio:* Quædam forensia Mosaica cum legibus ceremonialibus composita & mixta sunt. Illa igitur sunt sua natura mutabilia, adeoque ipso jure & facto mutata. Ejusmodi sunt leges de jure primogenituræ, de asylis, de decimis, de non comedendo sanguine, de anno jubilæo, de sabbati quiete & violatio-

&c. Quanquam verò hæc talia natura sua sint mutabilia & de jure sublata: libera tamen hominum voluntate, pro personarum, rerum, locorum, temporum, aliarumque circumstantiarum ratione & commoditate, in usum revocari denuò possunt, typis duntaxat, quibus in veteri populo vestitæ fuerunt, separatis. Sic v. g. hodiè observatur lex primogenitorum in capessenda hæreditate, in Scotia, & alibi. *Secunda conclusio*: Forensia Mosaica, quæ peculiariter ad politiæ Mosaicæ rationem attemperata fuerunt, prorsus expirarunt. Hujus generis leges sunt, de polygamia, *Deuter.* 21. 15. de duceeda fratria improle, *Deut.* 25. 5. ut extra tribum suam nemo nubat, *Num.* 36. 6. de tectis peribolo loricato cingendis, *Deut.* 22. 8. &c. Etsi enim in quibusdam hujus generis forensibus aliquid morale occurrit: tamen hypothesis ad nos nihil pertinet. Sic ex lege de tectis peribolo loricato cingendis & muniendis hoc elici potest, eam hodieque extructionis rationem ac viam ineundam esse, quæ neque nobis, neque aliis damna & incommoda adferat. *Tertia conclusio*: Forensia Mosaica, quæ concernunt politiam, qua politia est, semper & ubique observari debent. Talis est lex de pœna furti, & similium scelerum: quòd nempe illa necessariò sint punienda.

n enda Nulla siquidem politia potest e
sistere, si scelera maneant impunita. *Qu*
ta conclusio: Quæcunque in forensibus M
saicis sunt moralia, immutabilia sunt
perpetua. Ejusmodi est lex de gradib
prohibitorum & incestuosorum con
giorum *Levit.* 18. Cæterum etsi quæda
forensia Mosaica sunt perpetua: non t
men simpliciter, & absque discrimine o
servari possunt aut debent. Opus enim
triplici cautione. *Prima cautio:* Muta
causis & circumstantiis istarum legu
non solùm libertas conceditur, sed etia
necessitas imponitur mutandi, limitand
restringendi, & ampliandi. *Secunda ca*
tio: Sæpenumero in harum legum pr
oportet argumentari à pari, simili, & m
nori ad majus. *Tertia cautio:* Summa, sc
pus & ratio legis utut maneat; tamen m
dia, quibus ad summam, scopum, & r
tionem illam tenditur, mutationem sa
admittunt.

10. *An leges morales admittant dispens*
tionem? Solus Deus, utpote author ist
rum legum, potest hîc dispensare. Hin
est, quòd ille jussit Abrahamum occide
filium. Hoc tamen non est ita accipien
dum, quasi Deus possit jubere vel appro
bare peccatum. Nam dispensatio legis d
qua nobis sermo, nihil est aliud, quàm

exc

exceptio quædam, reservata in mente legislatoris.

11. *An leges humanæ, cum rectaratione consentientes, obligent conscientiã?* Immediatè, directè, & per se non obligant: sed mediatè, indirectè, & per accidens, quatenus consentiunt cum lege naturæ & Dei.

12. *An lex regia, quæ dicitur Politicis, sit inventum humanum?* N. Nam lex regia est, quæ ad magistratum pertinet, illumque munit, & solium ejus stabilit. Hujusmodi verò lex à Mose quoque est lata. Teneatur itaque hic illa distinctio: Forensia Mosaica sunt Ecclesiastica, vel mundana. Illa sunt constitutiones de politia Ecclesiæ, sanctæ à Mose, & auctæ a Davide: hæc sunt oeconomica, civilia, vel regalia. Oeconomica sunt, quæ statum conjugalem certis legibus definiunt: civilia, quæ ordinem inter cives in communi vita observandum respiciunt: regalia, quæ ad magistratum pertinent, ut de electione regis, ipsius qualitatibus, officio &c. Sub regalibus istis continentur criminalia, ut sunt leges, quæ sceleribus & publicis injuriis pœnas debitas decernunt & infligunt.

CAP. XVI.

De peccatis cõtra primum decalogi præceptum.

1. AN *magia sit licita?* Distinguendũ est inter magiam naturalem, & necro-

manticam. Illa est licita, quippe pars physicæ & mathematicæ: hæc est illicita, quippe diabolica.

3. *An omnis divinatio sit illicita?* N. Sunt enim quatuor genera τῆς μαντικῆς, *divinationis.* 1. Divinatio spiritualis, seu divina quæ dicitur prophetia. 2. Vulgaris, sive popularis. 3. Physica, sive rationalis; cujus hæ sunt species: προγνωστικὸν δι' ἀστρολογίας, ἀερoσκοπία, ὑδατοσκοπία, γαιοσκοπία; προγνωστικὸν μετεωρολογικὸν, φυσιογνωμονικὸν, χειροσκοπικὸν; σημειωτικὴ medicorum; ὀνειρομαντία, *divinatio ex somniis,* scil physica; denique divinatio ex fossilibus, plantis, & animalibus. 4. Diabolica; cujus genera sunt diabolica oracula, Ecstasis diabolica, Pythonismus, Enthusiasmus diabolicus, λιθανθρωπία, magia necromantica, incantatio, divinatio ex sacrificiis, augurium, denique sortes divinatoriæ.

3. *Quid circa magiam necromanticam in primis sit attendendum?* Ista tria. 1 Κακοζηλία diaboli, qui opera Dei salutaria, in primis autem fœdus Dei gratuitum, in artibus magicis æmulatur. Hinc enim est, quòd diabolus init fœdus cum suis mancipiis; quodque sagarum liberos sibi mancipatos vult. Hinc sunt oracula & vaticinia diabolica, somnia sagarum ecstaticarum diabolica, apparitiones diaboli visibiles, sacrificia

mago-

magorum diabolica, mactationes hominum, signa & stipulationes inter diabolum & ejus mancipia, synagogæ & sabbata magorum & magarum, fides magorum in diabolum, incantationes & miracula diabolica, denique Sodomia maleficarum cum diabolo. 2. Occasiones, quibus diabolus ad magicas artes inducit homines. Inducit autem eos superstitione, ambitione, paupertatis impatientia, vindictæ cupiditate, libidine, melancholica & impietate. 3. Pœnæ, quæ magos istos manent in hac vita, & post hanc vitam.

4 *An magia necromantica per se sit peccatum in Spiritum sanctum?* N. Est enim sua natura hoc peccatum remissibile. Per accidens tamen potest fieri irremissibile.

5 *An omnes illi, qui vident varia spectra, ut choreas emortuales, quas vocant processiones funebres nocturnas, & similia; sint magis vel sagis accensendi?* N. Sunt enim homines quidam, nescio quo fidere nati, qui nolentes volentes vident hujusmodi spectra; quibus tamen nullum cum satana pactum, sive occultum, sive manifestum, intercedit.

6. *Quomodo hæretici sint tractandi?* Distinguendum est inter personas, errores & pœnas. Inter *personas* quidam seductores sunt, & seductionum coryphæi; quidam seducti. Ex seductoribus multi sunt, qui erro-

rem, obstinatè tuentur, aut ex invidia & malevolentia animorum, aut ex ambitione, & similibus vitiis. Hi tales audacia, hypocrisi, eruditionis, & loquacitate instructi, non ipsi tantùm citra emendationem in propriam perniciem ruunt, sed alios etiam instar torrentis rapidissimi secum trahunt. Atque hi secundùm legem Dei *Deuter.* 13. & exempla 2 *Reg.* 10. 24. *cap* 23. 20. 1. *Regum* 18. 40. è medio tollendi sunt. Quod attinet ad seductos qui non malitia aut obstinatione, sed ex simplicitate erarant, magistrorum suorum authoritate dementati, & plausibili falsitatis specie: hi non damnandi, aut severiori animadversione pœnali coercendi sunt: sed Deus pro illis orandus, & lenitatis atque mansuetudinis spiritu tolerandi atque instituendi sunt. *Errores* alii evertunt, alii relinquunt fundamentum. Ad priores illos quod attinet, quidam ex iis tantæ sunt blasphemiæ ut defectionem à Deo uno & trino suadeant, vel importent; vel tantæ sunt impietatis, ut ne fidelium quidem aures sustinere illos queant, nedum ferre; vel denique in reip. aut Ecclesiæ subversionem tendũt nisi in tempore sopiantur. Hæc abominatio universa est capitalis. *Pœnas* quod attinet; hæretici, qualescunque etiam sint, primò sunt monendi, & ex verbo Dei, spiritu man-

manſuetudinis, inſtituendi, deque ſuis erroribus per colloquia privata, & Eccleſiaſtica judicia convincendi. Quæ ſi fruſtra ſint, veniendum eſt ad pœnas corporales, ſi homines illi ſint authores apoſtaſiæ. Abſq; hoc ſi ſit, excommunicatio ſufficit.

7. *An Pſeudoprophetæ ſint capitali ſupplicio afficiendi?* Negatur de iis, qui ingenii infirmitate laborant, vel potius ἀῤῥωστίᾳ τῆς διανοίας: affirmatur de illis, qui improbitate, ambitione, obſtinatione, aliiſque animi cupiditatibus, quibus ipſa religionis principia, & fundamentum ſalutis convellunt, in veræ religionis odium abripiuntur, & ſalutaribus admonitionibus cedere recuſant. Horum ſiquidem crimina cum aliorum pernicie, & ſocietatis tum Eccleſiaſticæ tum civilis periculoſiſſima perturbatione, conjuncta ſunt.

8. *An exorciſtæ ſint magis accenſendi?* Tria ſunt exorciſtarum genera. 1. Qui habent χάρισμα, dæmones è corporaliter obſeſſis eiiciendi. 2. Qui vanitate & curioſitate ducti hoc ſibi ſumunt. 3. Qui characteribus & incantationibus hanc ad rem utuntur. Poſtremi illi vel ſunt ex profeſſo magi, vel magis non multùm abſimiles.

9. *An omnes incantationes ſint prohibitæ?*

A. Etsi enim non omnibus incantatoribus immediatè cum diabolo res est: nihilominus tamen omnes se obstringunt gravissimo peccato, quo creaturis novas vires indere, cursum naturæ mutare, fulmina elicere &c. conantur: contra expressum Dei verbum.

10. *An consecrationes v. g olei, salis, aquæ herbarum &c. sint licitæ?* N. Verborum quidem & characterum nulla est vis adulterandum res, aut qualitatem aliquam illis imprimendam. Neque illis favet, quod Apostolus 1. *Tim.* 4. 5 ait, cibos per verbum Dei & preces sanctificari. Hæc enim sanctificatio non mutat substantias rerum, aut novis viribus res instruit, vi verborum: sed nos, qui per peccatum, & multiplicem abusum bonorum corporalium, nostramque ingratitudinem, illis digni non sumus; nos inquam, ex fide orantes & gratias Deo agentes, in usum illorum iterum quasi immittit, ut citra Dei offensam, & conscientiarum nostrarum pollutionem, legitimè & fructuosè illis utamur.

11. *An fœdera cum impiis & idololatris sint ineunda?* Distinguendum est inter fœdera. Quædam enim habent communes expeditiones & auxilia mutua cum idololatris & impiis; qualia fuerunt Asæ, Iosaphati, & Amasiæ 1. *Reg.* 15. *cap.* 22. 2. *Chron.* 25. Illa illicita

licita sunt, & intrinsecè mala. Alia verò sunt de finibus & limitibus, deque commerciis. Atque hæc licita sunt *Genes.* 14.13. *cap.* 31 44.

Cap. XVII

De peccatis contra secundum decalogi præceptum.

1. *Quæ idololatria prohibeatur hoc præcepto?* Externa illa & crassa, ejusque instrumenta, quorum quinque genera Deus constituit. 1 Imagines, sive sculptas, sive fusas, sive pictas. 2. Templa idololatrica. 3 Altaria peregrina. 4. Excelsa, sive colles, in quibus rem divinam populus faciebat 5. Lucos, religionis causa delectos.

2. *An imagines veri Dei Christi, & sanctorum Angelorum & hominum liceat facere, & honore aliquo prosequi?* N. Nam imago, quæ fit & habetur religionis causa, facit ut homo sit idololatra. Egregium hanc in sententiam est decretum illud Caroli Magni, anno Christi 794. in synodo Francofurtensi promulgatum: Imagines habere in templis, aut aliis locis, per se quidem impium non esse, ut cùm fiunt vel ornatus gratia, vel historiæ, ad refricandam rerum præteritarum memoriam: cæterùm à fide Christiana quàm alienissimum, & planè gentilitium, vel ethnicum esse, imagines adorare, aut quoquo modo venerari & ho-

norare, vestire, lumina eis accendere, suffitum facere, aut coram ipsis procumbere caput aperire, & geniculari.

3. *An liceat imagines quasdam in templis habere ornatus causa?* Si intelligatur ornatus politicus, statuitur thesis affirmativa. Verùm enimverò, quia ornatus ille periculosus est, & abusui vel maximè obnoxius; satius est cogitare de spiritualibus templorum ornatu.

4. *An templa à majoribus nostris extructa, vasa sacra ad usum eucharistiæ deputata & similia, sint hoc nomine diruenda, communenda, & abijcienda, quòd fuerint instrumenta idololatriæ?* N. Oportet enim illa sanctificare per preces, veram prædicationem verbi Dei, legitimam sacramentorum administrationem, & similes sacros usus.

3. *An imagines in templis religionis causa collocatæ, sint ex ius tollendæ?* Primò tollantur è cordibus hominum, deinde ex templis, nisi fortè majus quoddam malum fit metuendum. e. g. totius Ecclesiæ aut reipub. convulsio. In hoc siquidem casu, tutiùs tolerantur, quàm tolluntur.

CAP. XVIII.

De peccatis contra tertium decalogi præceptum.

1. *QVotuplex sit blasphemia?* Duplex. Alia enim committitur in Deum *Lev.*24. 15. alia in magistratum, *Tit.*3. 2. 2 *Petr.* 2. 10. *Iud.v* 8.

2. *Quotuplex sit blasphemia adversus Deum?* Duplex: immediata & mediata. Blasphemia immediata est, qua ipsa Dei majestas sacrosancta convitiis laceratur, & contumeliosum, vel falsum aliquid de Deo dicitur, quo aut negatur de eo, quod tribuendum illi erat; aut è diverso ei tribuitur, quod minimè ipsi convenit: qua re ex professo ipsius gloria imminuitur, illique detrahitur. 1. *Reg.* 20. 23. 2. *Regum* 7. 2. *Daniel.* 3. *v.* 14. 15. *Iudith.* 6. 2. Mediata blasphemia est, qua per nomen Dei sacrosanctum, Christi Salvatoris nostri potentiam, passionem, vulnera & sacramenta, perque alias creaturas Dei, & mundi partes, diræ imprecationes evomuntur; non in illos tantùm, qui in eminentia sunt constituti, sed in quoscunq; homines. Quanquam videtur dicendum, blasphemias per Christi potentiam, passionẽ, & vulnera, esse immediatas: ita ut mediatæ sint illæ solùm, quibus proximo maledicitur. Deinde blas-

phemia erga Deum est interna, vel externa. Illa cernitur in cogitationibus: hæc in dictis & scriptis. Ad extremum blasphemia erga Deum est directa, vel indirecta seu obliqua.

3. *Quomodo blasphemia externa sit punienda?* Duo sunt blasphemiæ externæ erga Deum, sive sit immediata, sive mediata, sive directa, sive indirecta; duo, inquam, sunt ejus genera: unum, cùm homo ex infirmitate & impotentia maledicit Deo; alterum, cùm homo maledicit Iehovæ certa malitia & obstinatione voluntaria. Qui priori modo blasphemat, arbitratu judicis qui posteriori, supplicio extremo est afficiendus. Fundata est hæc distinctio *Levit.* 24.15. Deinde blasphemia mediata adversus Deum proficiscitur sæpenumero ex iracundia & vindictæ cupiditate, vel ex prava cõsuetudine. Qui priori modo blasphemat, mitiùs est puniendus, quàm qui posteriori modo.

4. *Quomodo tertium præceptum violetur quantum ad juramentum?* Sex sunt classes illorum, qui hîc prævaricantur. 1. Qui juramentum exigunt & suscipiunt ab eo, quem nõrunt juraturum esse falsum. 2. Qui falsum jurant per verum Deum, atque adeo eum falsi quasi suffragatorem & approbatorem constituunt. 3. Qui temere

& sine

& sine causa, nullaque urgente necessitate jurant. 4. Qui juramento promittunt res inhonestas aut impossibiles. 5. Qui juramenta legitima non servant. 6. Qui juramenta omnia sine exceptione damnant.

5. *Quomodo puniendum sit periurium?* Perjurium est gravissimum peccatum: quia qui falsum jurat, facit Deum, quantum in se est, approbare falsum: quæ est atrox injuria. Hinc gravissimæ pœnæ constitutæ sunt in perjuros. Apud Scythas & Ægyptios plectebantur capite: apud Indos, manuum pedumque extremorum abscissione. Jure civili sunt infames, si perjurium sit in nocumentum alterius. *Glossa in l. si quis maior, C. de transactionibus.* Jure canonico sunt etiam infames, *cap. Infames, & c. Quicunque, 6. q. 1.* Quod intellige, si res est notoria.

6. *Quomodo sint puniendi, qui in quotidianis & nugacibus alloquiis temerant nomen Dei?* Duo sunt illorum genera, qui hoc modo peccant. 1. Quidam hoc faciunt, voluntate accedente. 2. Quidam secus. Illi gravius sunt puniendi, quàm hi. Sufficit autem hîc gravis increpatio, si quidem homines illi sese emendent. Sin, veniendum est ad censuram ecclesiasticam.

7. *Quomodo videtur hoc præceptum in materia votorum?* Si quis temerè, & sine causa

manticam. Illa est licita, quippe pars physicæ & mathematicæ: hæc est illicita, quippe diabolica.

3. *An omnis divinatio sit illicita?* N. Sunt enim quatuor genera τῆς μαντικῆς, *divinationis.* 1. Divinatio spiritualis, seu divina quæ dicitur prophetia. 2. Vulgaris, sive popularis. 3. Physica, sive rationalis; cujus hæ sunt species: προγνωστικὸν δι' ἀστρολογίας, ἀερoσκοπία, ὑδατοσκοπία, γαιοσκοπία; προγνωστικὸν μετεωρολογικὸν, φυσιογνωμονικὸν, χειροσκοπικὸν; σημειωτικὴ medicorum; ὀνειροπολία, *divinatio ex somniis,* scil physica; denique divinatio ex fossilibus, plantis, & animalibus 4. Diabolica; cujus genera sunt diabolica oracula, Extasis diabolica, Pythonismus, Enthusiasmus diabolicus, λιθανθρωπία, magia necromantica, incantatio, divinatio ex sacrificiis, augurium, denique sortes divinatoriæ.

3. *Quid circa magiam necromanticam in primis sit attendendum?* Ista tria. 1 Κακοζηλία diaboli, qui opera Dei salutaria, in primis autem fœdus Dei gratuitum, in artibus magicis æmulatur. Hinc enim est, quòd diabolus init fœdus cum suis mancipiis, quodque sagarum liberos sibi mancipatos vult. Hinc sunt oracula & vaticinia diabolica, somnia sagarum ecstaticarum diabolica, apparitiones diaboli visibiles, sacrificia

mago-

magorum diabolica, mactationes hominum, signa & stipulationes inter diabolum & ejus mancipia, synagogæ & sabbata magorum & magarum, fides magorum in diabolum, incantationes & miracula diabolica, denique Sodomia maleficarum cum diabolo. 2. Occasiones, quibus diabolus ad magicas artes inducit homines. Inducit autem eos superstitione, ambitione, paupertatis impatientia, vindictæ cupiditate, libidine, melancholica & impietate. 3. Pœnæ, quæ magos istos manent in hac vita, & post hanc vitam.

4. *An magia necromantica per se sit peccatum in Spiritum sanctum?* N. Est enim sua natura hoc peccatum remissibile. Per accidens tamen potest fieri irremissibile.

5 *An omnes illi, qui vident varia spectra, ut choreas emortuales, quas vocant processiones funebres nocturnas, & similia; sint magis vel sagis accensendi?* N. Sunt enim homines quidam, nescio quo fidere nati, qui nolentes volentes vident hujusmodi spectra; quibus tamen nullum cum satana pactum, sive occultum, sive manifestum, intercedit.

6. *Quomodo hæretici sint tractandi?* Distinguendum est inter personas, errores & pœnas. Inter *personas* quidam seductores sunt, & seductionum coryphæi; quidam seducti. Ex seductoribus multi sunt, qui erro-

rem, obstinatè tuentur, aut ex invidia & malevolentia animorum, aut ex ambitione, & similibus vitiis. Hi tales audacia, hypocrisi, eruditione, & loquacitate instructi, non ipsi tantùm citra emendationem in propriam perniciem ruunt, sed alios etiam instar torrentis rapidissimi secum trahunt. Atque hi secundùm legem Dei *Deuter.* 13. & exempla 2 *Reg.* 10. 24. *cap* 23. 20. 1. *Regum* 18. 40. è medio tollendi sunt. Quod attinet ad seductos qui non malitia aut obstinatione, sed ex simplicitate errant, magistrorum suorum authoritate dementati, & plausibili falsitatis specie: hi non damnandi, aut severiori animadversione pœnali coercendi sunt: sed Deus pro illis orandus, & lenitatis atque mansuetudinis spiritu tolerandi atque instituendi sunt. *Errores* alii evertunt, alii relinquunt fundamentum. Ad priores illos quod attinet, quidam ex iis tantæ sunt blasphemiæ, ut defectionem à Deo uno & trino suadeant, vel importent; vel tantæ sunt impietatis, ut ne fidelium quidem aures sustinere illos queant, nedum ferre; vel denique in reip. aut Ecclesiæ subversionem tendũt, nisi in tempore sopiantur. Hæc abominatio universa est capitalis. *Pœnas* quod attinet; hæretici, qualescunque etiam sint, primò sunt monendi, & ex verbo Dei, spiritu man-

mansuetudinis, instituendi, deque suis erroribus per colloquia privata, & Ecclesiastica judicia convincendi. Quæ si frustra sint, veniendum est ad pœnas corporales, si homines illi sint authores apostasiæ. Absq; hoc si sit, excommunicatio sufficit.

7. *An Pseudoprophetæ sint capitali supplicio afficiendi?* Negatur de iis, qui ingenii infirmitate laborant, vel potius ἀῤῥωστίᾳ τῆς διανοίας: affirmatur de illis, qui improbitate, ambitione, obstinatione, aliisque animi cupiditatibus, quibus ipsa religionis principia, & fundamentum salutis convellunt, in veræ religionis odium abripiuntur, & salutaribus admonitionibus cedere recusant. Horum siquidem crimina cum aliorum pernicie, & societatis tum Ecclesiasticæ tum civilis periculosissima perturbatione, conjuncta sunt.

8. *An exorcistæ sint magis accensendi?* Tria sunt exorcistarum genera. 1. Qui habent χάρισμα, dæmones è corporaliter obsessis eiiciendi. 2. Qui vanitate & curiositate ducti hoc sibi sumunt. 3. Qui characteribus & incantationibus hanc ad rem utuntur. Postremi illi vel sunt ex professo magi, vel magis non multùm absimiles.

9. *An omnes incantationes sint prohibitæ?*

A. Etsi enim non omnibus incantatoribus immediatè cum diabolo res est: nihilominus tamen omnes se obstringunt gravissimo peccato, quo creaturis novas vires indere, cursum naturæ mutare, fulmina elicere &c. conantur: contra expressum Dei verbum.

10. *An consecrationes v.g olei, salis, aquæ, herbarum &c. sint licitæ?* N. Verborum siquidem & characterum nulla est vis adalterandum res, aut qualitatem aliquam illis imprimendam. Neque illis favet, quod Apostolus 1. *Tim.* 4. 5 ait, cibos per verbum Dei & preces sanctificari. Hæc enim sanctificatio non mutat substantias rerum, aut novis viribus res instruit, vi verborum: sed nos, qui per peccatum, & multiplicem abusum bonorum corporalium, nostramque ingratitudinem, illis digni non sumus; nos, inquam, ex fide orantes & gratias Deo agentes, in usum illorum iterum quasi immittit, ut citra Dei offensam, & conscientiarum nostrarum pollutionem, legitimè & fructuosè illis utamur.

11. *An fœdera cum impiis & idololatris sint ineunda?* Distinguendum est inter fœdera. Quædam enim habent communes expeditiones & auxilia mutua cum idololatris & impiis; qualia fuerunt Asæ, Iosaphati, & Amasiæ 1. *Reg.* 15. *cap.* 22. 2. *Chron.* 25. Illa illicita

licita sunt, & intrinsecè mala. Alia verò sunt de finibus & limitibus, deque commerciis. Atque hæc licita sunt *Genes* 14.13. *cap.* 31 44.

CAP. XVII

De peccatis contra secundum decalogi præceptum.

1. *Quâ idololatria prohibeatur hoc præcepto?* Externa illa & crassa, ejusque instrumenta, quorum quinque genera Deus constituit. 1 Imagines, sive sculptas, sive fusas, sive pictas. 2. Templa idololatrica. 3 Altaria peregrina. 4. Excelsa, sive colles, in quibus rem divinam populus faciebat 5. Lucos, religionis causa delectos.

2. *An imagines veri Dei Christi, & sanctorum Angelorum & hominum liceat facere, & honore aliquo prosequi?* N. Nam imago, quæ fit & habetur religionis causa, facit ut homo sit idololatra. Egregium hanc in sententiam est decretum illud Caroli Magni, anno Christi 794. in synodo Francofurtensi promulgatum: Imagines habere in templis, aut aliis locis, per se quidem impium non esse, ut cùm fiunt vel ornatus gratia, vel historiæ, ad refricandam rerum præteritarum memoriam: cæterùm à fide Christiana quàm alienissimum, & planè gentilitium, vel ethnicum esse, imagines adorare, aut quoquo modo venerari & ho-

norare, vestire, lumina eis accendere, suffitum facere, aut coram ipsis procumbere caput aperire, & geniculari.

3. *An liceat imagines quasdam in templis habere ornatus causa?* Si intelligatur ornatus politicus, statuitur thesis affirmativa. Verùm enim verò, quia ornatus ille periculosus est, & abusui vel maximè obnoxius; satius est cogitare de spirituali templorum ornatu.

4. *An templa à majoribus nostris extructa, vasa sacra ad usum eucharistiæ deputata & similia, sint hoc nomine diruenda, communeda, & abijcienda, quòd fuerint instrumenta idololatriæ?* N. Oportet enim illa sanctificare per preces, veram prædicationem verbi Dei, legitimam sacramentorum administrationem, & similes sacros usus.

3. *An imagines in templis religionis causa collocatæ, sint ex iis tollendæ?* Primò tollantur è cordibus hominum, deinde ex templis, nisi fortè majus quoddam malum sit metuendum. e. g. totius Ecclesiæ aut reipublicæ convulsio. In hoc siquidem casu, tutiùs tolerantur, quàm tolluntur.

CAP. XVIII.

De peccatis contra tertium decalogi præceptum.

1. *Quotuplex sit blasphemia?* Duplex. Alia enim committitur in Deum *Lev.*24. 15. alia in magistratum, *Tit.*3. 2. 2 *Petr.*2.10. *Iud.v* 8.

2. *Quotuplex sit blasphemia adversus Deum?* Duplex: immediata & mediata. Blasphemia immediata est, qua ipsa Dei majestas sacrosancta convitiis laceratur, & contumeliosum, vel falsum aliquid de Deo dicitur, quo aut negatur de eo, quod tribuendum illi erat; aut è diverso ei tribuitur, quod minimè ipsi convenit: qua re ex professo ipsius gloria imminuitur, illique detrahitur. 1 *Reg.*20. 23. 2. *Regum* 7. 2. *Daniel.*3. *v.*14. 15. *Iudith.*6. 2. Mediata blasphemia est, qua per nomen Dei sacrosanctum, Christi Salvatoris nostri potentiam, passionem, vulnera & sacramenta, perque alias creaturas Dei, & mundi partes, diræ imprecationes evomuntur; non in illos tantùm, qui in eminentia sunt constituti, sed in quoscunq; homines. Quanquam videtur dicendum, blasphemias per Christi potentiam, passionē, & vulnera, esse immediatas: ita ut mediatæ sint illæ solùm, quibus proximo maledicitur. Deinde blas-

phemia erga Deum est interna, vel externa. Illa cernitur in cogitationibus: hæc in dictis & scriptis. Ad extremum blasphemia erga Deum est directa, vel indirecta seu obliqua.

3. *Quomodo blasphemia externa sit puniendа?* Duo sunt blasphemiæ externæ erga Deum, sive sit immediata, sive mediata, sive directa, sive indirecta; duo, inquam, sunt ejus genera: unum, cùm homo ex infirmitate & impotentia maledicit Deo; alterum, cùm homo maledicit Iehovæ certa malitia & obstinatione voluntaria. Qui priori modo blasphemat, arbitratu judicis qui posteriori, supplicio extremo est afficiendus. Fundata est hæc distinctio *Levit.* 24.15. Deinde blasphemia mediata adversus Deum proficiscitur sæpenumero ex iracundia & vindictæ cupiditate, vel ex prava cōsuetudine. Qui priori modo blasphemat, mitiùs est puniendus, quàm qui posteriori modo.

4. *Quomodo tertium præceptum violetur quantum ad juramentum?* Sex sunt classes illorum, qui hîc prævaricantur. 1. Qui juramentum exigunt & suscipiunt ab eo, quem nōrunt juraturum esse falsum. 2. Qui falsum jurant per verum Deum, atque adeo eum falsi quasi suffragatorem & approbatorem constituunt. 3. Qui temere & sine

& sine causa, nullaque urgente necessitate jurant. 4. Qui juramento promittunt res inhonestas aut impossibiles. 5. Qui juramenta legitima non servant. 6. Qui juramenta omnia sine exceptione damnant.

5. *Quomodo puniendum sit periurium?* Perjurium est gravissimum peccatum: quia qui falsum jurat, facit Deum, quantum in se est, approbare falsum: quæ est atrox injuria. Hinc gravissimæ pœnæ constitutæ sunt in perjuros. Apud Scythas & Ægyptios plectebantur capite: apud Indos, manuum pedumque extremorum abscissione. Jure civili sunt infames, si perjurium sit in nocumentum alterius. *Glossa in l. si quis maior, C. de transactionibus.* Jure canonico sunt etiam infames, *cap. Infames, & c. Quicunque, 6. q. 1.* Quod intellige, si res est notoria.

6. *Quomodo sint puniendi, qui in quotidianis & nugacibus alloquiis temerant nomen Dei?* Duo sunt illorum genera, qui hoc modo peccant. 1. Quidam hoc faciunt, voluntate accedente. 2. Quidam secus. Illi gravius sunt puniendi, quàm hi. Sufficit autem hîc gravis increpatio, si quidem homines illi sese emendent. Sin, veniendum est ad censuram ecclesiasticam.

7. *Quomodo videtur hoc præceptum in materia votorum?* Si quis temerè, & sine causa

aliquid voueat Deo: vel votum legitimè factum non servet.

8. *Quomodo puniendi sint, qui adversus Deum fremunt?* Distinguendum est inter impatientiam, & projectam impietatem. Oportet enim ut gradibus delictorum commensurentur gradus pœnarum.

Cap. XIX.

De peccatis contra quartum decalogi præceptum.

1. *Quomodo violetur hoc præceptum?* Bifariam: videlicet excessu, & defectu. *In excessu* peccant, qui sabbatum ita observant, ut ne quidem opera charitatis in eo exercere ausint, ut olim Pharisæi. *In defectu*; qui nec diligenter, nec religiosè sacra tractant.

2. *An pœna capitalis, quam Deus in Vet. Testam. tulit in sabbati violatores; hodieque sit observanda?* Oportet distinguere inter violatores sabbati præfractos, petulantes, & blasphemos: itemque illos, qui ex consuetudine prava, hodie proh dolor apud omnes prope Christianos vigente, sabbatum violant. Priores illi vel capitali, vel corporali pœna, pro qualitate delicti, sunt puniendi: posteriores isti partim publicè, partim privatim sunt monendi & increpandi.

3. *An*

3. *An festa in honorem sanctorum sint instituenda & celebranda?* Minimè. Nam hic honor soli Deo, temporis autori & rectori, debetur.

4. *An decimæ, quæ tot Imperatorum Christianorum donationibus, & Synodorum decretis, Ecclesiis destinatæ fuerunt, rectè subjaciantur voluntati & manibus laicorum, sive secularium?* Etsi hac in re apud multos discessum est à canonibus Ecclesiasticis, qui res Ecclesiæ alienari, & in profanos aut privatos usus convertere prohibent: tamen quia decimarum harum aliæ, ab ipsis Ecclesiarum præsulibus, certis quibusdam conditionibus traditæ sunt magistratibus, & hominibus politicis; aliæ per emtionem contractus ad alios pervenerunt; aliæ alio modo legitimo acquisitæ sunt; nullo jure ab iis, qui eas nunc legitimè & bono titulo possident, ad Ecclesias transferri possunt, nisi precibus aut pecuniis redimantur.

5. *An decimæ in Nov. Test. sint probandæ?* A. Nam lex de decimis est partim moralis, partim ceremonialis. Moralitas, sive perpetua legis decimarum ratio hinc elucescit. 1. Abrahamus, ex bello redux, Melchisedeco, ex præda hostibus erepta, decimas obtulit, *Gen.* 14. 20. Unde apparet, piis hominib⁹ tum in more fuisse positum, ut,

ut si ex animi sententia aliquid succederet, aut singula cum Dei benevolentia sentirent, decimarum oblatione gratitudinem suam testarentur. Sic Jacob à furore Esavi fratris in Mesopotamiam fugiens decimas Deo vovet omnium, quæ illi acquirat, si incolumis revertatur, *Gen.* 28. 22. Et hæc decimarum moralitas immediatè in Deum respicit. 2. Decimas imperavit Deus per Mosen, ut ministri Ecclesiæ haberent, unde vitam suam commodè tolerarent. Ergo & hodie non solùm æqua, sed etiam minùs gravis alendi ministros Ecclesiæ ratio est, si decimæ colligantur. Et hoc quidem est morale quod perpetuum habet usum. Ceremoniale est istud, quòd per decimas, quæ sacerdotibus dabantur, Christum in carnem venturum venerabantur, eique seipsos, & omnia sua debere fatebantur. Quo eodem nomine primitias quoque rerum suarum omnium persolvebant. Ceremonia istu jam cessat, manente morali, ut nempe hodiè decimæ pars sint stipendii, quod ministris Ecclesiæ, pro officii sui laboribus, diuino & naturali jure debetur.

6. *Quomodo hodiè profanetur sabbatum?* Comessationibus, saltationibus, profectionibus non-necessariis, spectaculis, ludis variis, mercatibus, & aliis modis ad-

eo

eo enormibus, ut vel è liceat conqueri, sabbatum Christianorum esse festum malorum genio rum.

7. *Quàm varius sit hodiè abusus bonorum Ecclesiasticorum?* 1. Ecclesiarum ministri fere illa otiosè & furaciter abliguriunt. 2. Illi ipsi vel in templorum & imaginum exornationem, bona ista profundunt; vel ad luxum & fastum prodigunt. 3. Politici ea vel alienant, vel fraudulenter dispensant.

Cap. XX.

De peccatis contra quintum decalogi præceptum.

1. *Quomodo puniendi sint, qui parentibus vim, vel atrocem iniuriam inferunt?* Lex divina mortis pœnam in liberos decernit, qui parentibus suis imprecari, convitiari, illisque maledicere ausi fuerint, & ad verborum probra, cum insultandi petulantia, audacia, & protervia prosiliunt: deinde qui parentes percutere non erubuerint, vel pugno, vel fuste, etiamsi mors non subsequatur. *Exod.* 21. *v.* 15. 16. *Levit.* 20. 9. *Deut.* 27. 16. Leges civiles distinguunt inter parentum percussores, & parricidas. Illos arbitraria judicis, hos capitali pœna afficiendos pronuntiant.

2. *An*

2. *An parentes habeant potestatem vitæ & necis in liberos?* N. Neque enim illi liberis suis dant vitam, sed solùm sunt instrumenta, quibus Deus hanc ad rem tribuit.

3. *An parentibus in liberos rebelles detur actio?* Ita est. Nam lex Dei vult, ut parentes filium rebellem deferant ad magistratum, *Deut.* 21. 18. Meritò itaque impietatis alligantur isti parentes, qui ad omnem liberorum contumaciam, scelera, blasphemias, scortationes, helluationes, injurias item, convitia, & verbera, quibus ipsosmet afficiunt, connivent, illaque dissimulant & tegunt.

4. *Qua pœna coercendi sint, qui in magistratum sunt injurij?* Injuriæ illæ, quas læsæ majestatis crimen vocant, lege divina & civili sunt capitales, *Deuter.* 17. 11. *l.* 2. *C. ad l. Iul. maiest.* §. 3. *Instit. de public. judic.*

5. *Qua pœna afficiendi sint, qui adversus Ecclesiæ ministros sunt injurij?* Lex divina decernit pœnam capitis. *Deuter.* 17. 11. Sed hodiè distinguuntur istæ injuriæ: ita nempe, ut ex illis aliæ sint capitales, aliæ non.

6. *Quàm latè pateat quintum præceptum?* Id patet ex vocibus istis, *Pater, Mater.*

Nam

Nam parentes generatim intelliguntur, qui tanquam superiores & digniores eminent, sive naturali, sive civili ratione. Hac itaque nomine veniunt 1. pater & mater, à quibus in hanc lucem procreati sumus. 2. Avus & avia, proavus & proavia, patruus & amita, consobrinus & matertera, omnesque illi qui sunt in linea ascendente. 3. Senes. 4. Magistratus. 5. Doctores & Præceptores. 6. Tutores & Curatores. 7. Maritus. 8. Paterfamiliâs. 9. Dominus. 10. Patrinus, seu pater spiritualis. 11. Pater adoptivus. 12. Nutritius & nutrix. Ergo hic modo parentes intelliguntur. Liberi igitur eodem modo generatim intelligentur.

7. *Quot modis violetur hoc præceptum?* Si parentum dignitati & honori detrahatur æmulatione, fastu, impudentia, contumacia, rebellione, ingratitudine, & uno verbo, iajuria reali, personali, aut verbali.

8. *An peccent liberi, si parentibus impia præcipientibus, detrectent obedire?* N Oportet enim Patrem in cœlis plus vereri, quàm Patres terrenos.

9. *Qua pœna afficiendi sint discipuli, qui iniurij sunt erga præceptores?* Pœna pro qualitate delicti est arbitraria: videlicet casti-

castigatio publica, incarceratio, relegatio &c.

10 *Qua pœna afficiendi sint parentes, qui liberorum suorum commoda & salutem scientes volentes negligunt?* Non solum à magistratu & pastoribus Ecclesiæ sunt increpandi, sed etiam publico totius reip. tripudio ipsis est insultandum, si à filiis non afficiantur debito honore: etsi interim neque filii adversus ipsos debent esse injurii, neque ab aliis ad hoc incitandi sunt.

Cap. XXI.

De peccatis contra sextum decalogi præceptum.

1. Q*Vàm latè pateat hoc præceptum?* Occisio hominis synecdochicè intelligitur: videlicet quævis injuria seu violentia, qua corpus, vita, & valetudo hominis læditur. Est autem illa interna, vel externa. Interna: ut in odio, ira, vindictæ cupiditate &c. Externa est in verbis & factis. Ibi sunt calumniæ, convitia, & injustæ condemnationes, quibus aliquis in discrimen vitæ & valetudinis adducitur, aut periculo obiicitur: hîc est læsio vitæ, valetudinis & corporis, quæ fit manu vel quovis alio instrumento, ex malitia vel imperitia & imprudentia, vi vel dolo. *Vi;* publi-

publica, vel privata. *Dolo*, seu fraude, multipliciter; ut in occultis insidiis, veneno, medicamentis noxiis, maleficiis philtris &c. *Ex imperitia*: ut si quis imperitè conficiat aut propinet medicamenta. *Ex imprudentia*: ut si quis oblivione aut incuria, aut errore, tale quippiam faciat aut porrigat, quod noceat vitæ aut valetudini. Occisio igitur hominis hoc modo generatim intelligitur.

2. *An cuiusvis hominis læsio prohibeatur?* Ita est. Prohibetur enim occisio hominis sive nati atque in lucem editi, sive in utero matris adhuc delitescentis. In lucem editi seu nati, sive sui ipsius, sive alterius. Sui ipsius: ut si quis sibi mortem consciscit; aut seipsum evirat seu castrat, incîdit & urit; aut membra sibi quovis modo mutilat; aut periculis se temerè obiicit, ut gladiatores, & alii faciunt. Alterius: sive sit servus, sive hostis, sive ignotus &c.

3. *Annon liceat interdum ladere corpus hominis?* Licet 1. patri & matri, præceptoribus, tutoribus, & propinquis. Nam illis fustigatione uti licet, cùm est necesse, in educandis junioribus fidei suæ creditis. 2. Magistratui legitimo. Nam illi vel capitis suppliciis, vel mutilatione

mem-

membrorum, vel verberibus uti licet, tum in judicio, ad coercenda delicta; tum in bello, ad propulsandam injuriam & vim illatam. 3. Medicis. Nam illis licet in curatione urere, secare, & alia his similia præstare, si necessitas extrema sic postulet.

4. *An omnis vindicta sit illicita?* N. Nam vindicta est privata, vel publica. Illa hoc præcepto prohibetur: hæc iubetur & imperatur.

5. *An omnes αὐτόχειρες sint pro reprobis & damnatis habendi?* N. Quidam enim, qui vitam piam vixerunt, ex melancholia sibi mortem conscisc unt, non verò ex desperatione. Hîc itaque dispensandum fuerit, quantum ad pœnam civilem, qua τῶν αὐτοφόνων cadavera solent affici.

6. *An omne homicidium sit capitale?* N. Nam excipitur homicidium, 1. quod Deus imperat in lege sua, quodque magistratus, Dei vicarius, legitimè decernit. 2. Casuale, sive fortuitum, de quo *Deut.* 19. *v.* 6. 3. Quod in legitimo bello committitur in hostili exercitu. 4. Quod coniunctam habet moderationem inculpatæ tutelæ, hoc est, cùm quis vitam aliter tueri non potest, & non ad sumendam vindictam, sed iniuriam propulsandam arma sumit. Talis enim

nim eo casu, & à legibus, & à magistratu armatur.

7. *An percutiens prægnantem, ut abortiat, capitali pœnæ sit subjciendus?* Affirmativam tuetur argumento legis, quæ sancitur *Exod.* 21 22.

8. *An percussio, quæ membri fracturam aut mutilationem importat, talionis lege sit puniendæ?* Lex Mosis, & leges XII. Tabularum hanc pœnam sanciunt. Ubi non fortuitos ictus, sed conceptum animo scelus oportet intelligere: itemque ius rigidum. Potest enim talio ista, si læsus velit, iudicium æstimatione in mulctam pecuniariam commutari.

9. *An bella sint iuris divini & gentium?* A. Si sint vel necessaria adversus publicam vim defensio; vel pœna iusta propter atroces iniurias.

Cap. XXII.

De peccatis contra septimum decalogi præceptum.

1. *Quàm latè pateat hoc præceptum?* Quævis libidinis intemperies, qua vel vitæ cœlibis & solutæ, vel coniugii castitas & pudicitia violatur, hoc præcepto prohibetur. Prohibentur, inquam, 1. Sermones obscœni & spurci. 2. Scripta amatoria. 3. Picturæ lascivæ. 4. Gestus & nutus lascivi & impudici: item oscu-

oscula libidinosa, soltationes lascivæ, trectationes impudicæ. 5. Lascivus stitus & ornatus, fucus faciei, aliæ res, quibus quasi instrumentis impuri mines sese mutuò ad turpem amorem liciunt. 6. Commixtio carnalis, ea hominis cum homine, vel hominis c bruto & dæmone humanam speciem a mente. Hominis cum homine rursus masculi cum fœmina, vel masculi c masculo, vel fœminæ cum fœmina; q dicitur Sodomia. Masculi cum fœm vel in conjugio, vel extra conjugium. est incestus, polygamia, pellicatus, ad terium, desertio malitiosa, & divorti temerarium: hîc est scortatio, concu natus, & stuprum, vel virginis, vel vid vel mulieris conjugatæ. Commixtio h minis cum bruto est masculi, vel fœm næ: Cum dæmone similiter est mascu vel fœminæ commixtio: illius cum succ bo, hujus cum incubo. Ergo hoc mo nomine adulterii universa cujusvis libi nis intemperantia, quæ cum castitate & p dicitia pugnat, intelligitur. Et quoni ex ebrietate, nimiis lautitiis & delici otio & desidia, consuetudine pravoru & philtris nascitur libido, & iisdem ta quam nutrimentis alitur & fovetur: h quidem consideratione ista omnia, & qu

cunq

cunque sunt alia irritamenta & fomenta libidinis, simul hoc præcepto prohibentur & damnantur.

2. *An impudicitia rectè dividatur in naturalem, & eam quæ est contra naturam?* A. Neque enim naturalis dicitur, quòd sit secundùm naturam, sed quia committitur aut cum propinquis, aut cum alienis & nulla nos propinquitate attingentibus, hoc est, cum hominibus naturæ societate nobis conjunctis, cum quibus coiri per naturam potest. Impudicitia contra naturam est Sodomia, vel bestialitas, vel coitus cum dæmone. Sodomiæ species est παιδεραστία.

3. *An lupanaria sint toleranda?* N. Sunt enim intrinsecè & formaliter mala.

4. *An adulterium possit committi cum propria conjuge?* Ambrosius uxoris adulterum vocat, qui in usu conjugali verecundiæ & & honestatis rationem non habet. Sed hoc dicitur hyperbolicè.

5. *An commixtio conjugalis fieri debeat tantùm generationis causa?* Præcipuus hic est finis conjugii, uti Plato rectè monet, ut Deo cultores post nos relinquamus. Sed & hic est ipsius finis, ut sit remedium libidinis vagæ & vetitæ: item ut sanitati interdum consulatur &c.

6. *An habitus vel vestitus mutatio ſ cita?* Si adh beatur loco ſtratagematis firmatur. Alias non item: quatenus nec hęc veſtitus mutatio multarum libidi causa exiſtit, & ad impudicitiam auda res reddit.

7. *An polygamia ſit peccatum?* A. Eſte contra naturam. Neque obſtat, quòd lygamia in veteri populo permiſſa Hodiè ſiquidem ceſſant cauſæ iſtius miſſionis. Nam Deus conceſſit illam pter promiſſionem de ſeminis multi tione. *Auguſtinus* tamen *l. 3. de doctr. C cap.* 18 ſcribit, potuiſſe ſanctos Patres tis uxoribus caſtè uti pro tempore, cu lius unâ libidinosè uti poſſit.

8. *An adulterium ſit capitale?* Affir tur de adulterio pleno, quod ex par xoris æſtimatur, vi legis divinæ *Le* 20. 10.

9. *Quid factu ſit opus, ſi ſolutus cu luta rem habeat?* Lex divina & pro o jugio, & dote pronuntiat, uno tan caſu excepto, ſi renuat pater ſtrupra filiam dare *Exod.* 22 *verſ.* 16. 17. *Deuter.* 22. *verſ.* 28. 29.

CAP. XXIII.

De peccatis contra octavum decalogi præceptum.

1. *Quid furti nomine intelligatur in hoc præcepto?* Quævis injusta bonorum proximi usurpatio, omneque genus damni, quod proximi bonis sine justa & legitima causa datur. Itaque prohibentur summatim ista. 1. Si quis de bonis proximi injustè usurpandis concupiscat, optetque illius bona, aut ei quovis modo invideat. 2. Captiosa suasio, & proditio bonorum proximi. 3. Vis publica in peculatu, exactionibus magistratus, sacrilegio, Simonia, latrociniis. 4. Vis occulta in ludis vetitis, usuris immoderatis, clandestinis interceptionibus, sive diurnis, sive nocturnis, quæ vulgo furta dicuntur. 5. Fraus tum in aliis rebus, tum in contractibus: quæ committitur ratione mercis, vel pretii. Porrò furtum committitur negligentia, vel insciitia, vel maleficio. *Negligentia*: ut cùm quis sive publicè sive privatim res suas negligenter agit, aut mendicitati non-necessariæ se dedit. *Insciitia*: ut cum quis insciitia sua nocet alterius bonis, ut sæpe judices, advocati, & procuratores imperiti. *Maleficio*: ut cùm furtum committitur vi, vel fraude.

2. *An quod palam aufertur, furtim comprehendatur?* Scholastici negant quemadmodum C. 14. *quæst.* 5. *cap.* [illegible] *Dominus*, &, *Pœnale* affirmatur. Sed hîc sentire Scholasticos lex divina manifestè ostendit, quando docet, furtum committi palam quoque: item non ignis tantùm, sed parvis etiam rebus. Quemadmodum apud Gratianum dist. de pœnit. c. Vulgaris, legitur: *Quidam aperuit, & exinde parum vini abstulit, tius furtum videtur fecisse. Sed verum tantum furti actione eum teneri, in qua abstulit.*

3. *An translatio bonorum proximi semper sit illicita?* N. Alia enim est alia illicita. Licita & legitima est in [illegible] tionibus & successionibus legitimis. ditio in lege Dei alia est hominum servorum: alia bonorum externo Translatio illicita fit in furtis. Furti nomine omnis illicita rei alienæ [illegible] tio intelligitur. Furtum autem est matæ, vel inanimatæ. Ibi est plagium abigeatus: hîc est furtum simplex, compositum. Furtum simplex fit occultè, vel palam & apertè. Furtum cultum committitur aut invasione vulsione bonorum proximi, ipso

& invito: aut detentione & retentione eorum, quæ conscio & volente proximo accepta sunt; & hoc committitur in commodato, locato, deposito, & mutuo. Quò etiam pertinent validi mendicantes, alcatores, mercatores, caupones, & monopolæ, qui proximum decipiunt. Furtum publicum fit damno, dolo malo, pignore & usura. Damnum aut infertur, aut aufertur, ita, ut nisi auferatur, furtum committatur. Infertur aut cum injuria, aut sine injuria; quod pauperiem facere leges vetant. Cum injuria damnum datur vel pecori, vel fundo proximi. Pecori, vel occidendo, vel foveam fodiendo, adeoque periculum creando. Fundo proximi damnum infertur cum injuria, vel ab homine, vel à pecore. Ab homine, si fructus fundi vel diripiantur, vel incendio perdantur, vel etiam termini & limites fundi transferantur. Atque sic quidem proximus ipse proximi sui bonis damnum cum injuria dat. Pecus verò proximi idem facit, vel potius dominus mediatè per pecus suum: si illud proximi sui fundo immissum, depasci fecerit. Sine injuria porrò damnum datur, si bos alterius bovem læserit, aut occiderit. Damnum aversum est, cùm quis alterius, nempe ignorantis,

seu præsentis, seu absentis, seu noti, pte
ignoti, seu amici, seu inimici, negoti fur
sic gerit, ut ei prosit, non obsit. Eth sim
damnum aversum est species charita
Dolo malo furtum committunt falsa di
qui injustis ponderibus & mensuris ut nu
tur, & mensuras publicè probatas corru pri
punt. Furtum quoque in pignoribus ini
hypothecis fit, si videlicet creditor ipse qu
bitoris domum ingrediens, omnem ip ta
suppellectilem excutiat, ac inde pro bu
libidine pignus deligat. Usura mordat ti
iam furto adnumeratur. Sequitur furt ti
compositum, seu violentum, quod ne bu
cum violentia conjunctum est: ut si la
effodiat aut effringat ædes, idque noc xi

4. *An furta eleemosynis redimantur?* au
Nam eleemosynæ debent proficisci ex m
de, secundùm legem Dei, ad ipsius su
gloriam.

5. *Si rei inventæ aut furtivæ domi* e
prorsus ignoretur, vel ex rebus humanis
cesserit, neque hæredes reliquerit, aut illi
iam ignorentur; cui restituenda sit res inve
aut furtiva? Ministris verbi divini, a
pauperibus. In horum enim gratiam &
sum res Dei esse dicuntur. *Num.* 5. 8.

6. *An furtum sit capitale?* Per se non
capitale, sed per accidens, hoc est, p

pter aliquam circumstantiam. e. g. plagiũ, furtum nocturnum & violentum, furtum simplex sæpe iteratum &c.

7. *An incendiarij sint extremo afficiendi supplicio?* Distinguendum est. Aut enim data opera incendium factum est à privato, idque vel prædæ causa, vel ob inimicitias: aut casu & fortuito, adeoque incuria. Ibi est pœna capitis, quæ tamen redimi potest restitutione rei combustæ: hìc attendendæ sunt circumstantiæ. e. g. si quis per incuriam & negligentiam in agro suo ignem accendat, comburendarum spinarum gratia, is verò latiùs serpens, apprehendat acervum proximi, sive in agro, sive in horreo, incendii author rem combustam restituet.

8. *An usura sit licita?* Affirmatur de moderata. Lex namque Dei permittit usuras (nempe moderatas) accipere ab extraneis, à fratre paupere non item. Quo ipso distinguit inter usuram quæ accipitur à paupere & divite.

Cap. XXIV.

De peccatis contra nonum decalogi præceptum.

1. *Quàm latè pateat hoc præceptum?* Fa
testimonii nomine generatim i
telligitur mendacium quodlibet, quo p
ximo, id est, homini cuivis detrahitur
nocetur: vel quævis testimonii iniqui
& injustitia, qua charitas erga proxim
violatur Hoc a fit multis modis; putà i
spitione mala. 2. Aviditate in audien
obtrectationibus. 3. Propensione impor
na ad sinistra judicia. 4. In judicio, vele
ria judicium. 5 In pactis, artibus, & quo
dianis sermonibus. 6. Simulatis gestibus
nutibus. 7. Arrogantia & humilitate nim
Ergo hoc modo negatur f lsum testim
nium dicendum esse adversus proximu
Ac rursus sive nolentem & invitum, s
volentem; sive præsentem, sive absen
tem. Prohibetur igitur hoc præcepto
ctantia stulta & nimia humilitas; vanit
qua quis falsa de se aut aliis palam præd
cat; scurribilitas, garrulitas, obtrectatio
convitium, contumelia, condemnati
temeraria proximi, susurratio, stolida cre
dulitas, futilitas prodens arcana, aut spa
gens falsos rumores, aut sparsos longi
propagans; incogitantia, indiligentia

astutia, vafrities, studium discendi, docendi, & defendendi inutiles & non-necessarias subtilitates & cavillationes, sophistica pertinacia in falsis opinionibus, Academica ἐποχὴ in rebus manifestis, levitas rabularum forensium &c.

2. *An mendacium ita sit peccatum, ut in nullo casu licitum sit mentiri, ne tunc quidem, quando mentiendo nemini obesses, & tamen alicui prodesses, vel ad conservandam vitam, pudicitiam, famam, sanitatem; vel ad grande aliquod malum evitandum?* A. Nam quæ intrinsecè & ex natura sua mala & illicita sunt, nunquam benè & licitè fieri possunt, etiamsi ob bonum finem fiant. Sed mendacium intrinsecè & ex natura sua malum est. Ergo mendacium nunquam licitè fieri potest. Major patet: quia quod intrinsecè & ex natura sua malum est, hoc per nullam circumstantiam extrinsecam potest fieri bonum. Nam circumstantiæ extrinsecæ & accidentales non mutant naturam & intrinsecam rei essentiam. Minor ita patet: Mendacium sua natura continet triplicem deformitatem seu malitiam, nempe abusum sermonis, deceptionem proximi, & violationem amicitiæ humanæ. Qui enim mentitur, primùm quidem abutitur sermone. Nam usus linguæ ac sermonis ideo à Deo

datus est homini, ut per eum intern
suos conceptus, qui reconditi sunt, a
manifestet. At contrà fit per mendaciu
Hinc sequitur deceptio proximi. Na
cùm aliud mente cogitas, aliud verbo
primis; proximus, qui sincerè te loqui
stimat, falsa opinione imbuitur. Put
enim te id sentire, quod loqueris. At
secus facis. Unde, quantum in te est, v
las naturale jus amicitiæ. Facis enim alt
quod tibi nolles fieri: quod est contrad
ritatem. Ex his efficitur, omne mēdaci
sine peccato fieri non posse.

3. *An iudicia Ecclesiastica, politica, militaria sint licita?* A. Si rectè institu
tur.

4. *Quot modis iudicia pervertan*
Aut timore, dum potestatis alicujus
tu veritatem pronuntiare extimescit
dex: aut cupiditate, cùm muneris la
tione, vel saltem spe lucri corrumpi
aut odio, malevolentia, vel amore e
alterutram litigantium partem: aut p
turbatione aliqua mentis, ut ira, dolo
spe: aut imperitia & errore: aut tym
nide: aut præcipitatione: aut præcon
ptis opinionibus & præjudiciis: aut d
merita causæ non satis discutiuntur.

5. *An quæstiones per tormenta sint p*
ban

banda? A. si sint necessariæ & moderatæ.

CAP. XXV.

De peccatis contra decimum decalogi præceptum.

1. *Quales concupiscentia hic prohibeatur?* Ea, quæ dicitur immoderata & inordinata. Hæc siquidem charitati est contraria, sive malis nostris cogitationibus excitetur, sive ex naturæ nostræ corruptæ motu oriatur, & nobis incogitantibus seu inopinantibus obrepat: ac rursus, sive voluntatis nostræ assensu probetur & retineatur, sive contrario dissensu improbetur & repellatur. Cum hac concupiscentia simul fons ipse damnatur, tum corruptio interior, quæ peccatum originale vulgo dicitur, tum quæ ex corruptione ista exsistit cogitatio mala, eaque tum levis & momentanea, tum animum titillans & aculeis quasi pungens.

2. *An cuiusvis rei concupiscentia inordinata damnetur?* Ita est. Hoc patet ex illa generali clausula hujus præcepti: *Nec eorum quidquam quæ sunt proximi tui.*

3. *An homo eò perfectionis in hac vita possit pertingere, ut non molestetur à cogitationibus & cupiditatibus pravis?* N. Vide mihi Apostolum Paulum *Rom* 7.

4. *Cur Deus prohibeat & damnet peccatum originale, cùm illud nobiscum nascatur?* Ut magis atque magis studeamus ipsi vim & aculeum retundere. Deinde ex lege patet legis Dei dignitas & præstantia quippe quæ sola cordis & humani abdita scrutatur, & pravas illius cogitationes & concupiscentias damnat, adeoque veræ justitiæ non rudimenta, sed completum & summam perfectionem monstrat. Unde spiritualis dicitur *Rom.* 7. 14.

5. *An concupiscentia informis, & ἄθεα θεία, id est, præpassio, sit peccatum?* Affirmatur. Competit enim ipsi definitio peccati: utpo e quod est ἀνομία, id est, discrepantia à lege Dei, seu ἀταξία moralis.

CAP. XXVI.

De Evangelio.

1. AN *Evãgelium citra revelationem Spiritus sancti possit esse alicui cognitum lumine naturæ?* N. Quantumvis enim homo mens naturæ in aliquo excellat: semper tamen homo ille qualis, est ψυχικὸς, animalis; qui non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei.

2. *Cur Deus voluerit eam esse Evangelium, ut ipsius mysteria sapientibus & potentibus huius mundi videantur merastu-*

titia

titia? Deus potuisset sanè mentes omnium hominum ita illuminare, ut mysteria Evangelii assequerentur. Verùm enimverò placuit ipsius sapientiæ, mera paradoxa proponere. Paradoxa dico carni & sanguini.

3. *An vocatio efficax fiat per solum Evangelium?* Primùm fit per legem, deinde per Evangelium. Legis doctrina universa revocari potest ad hunc syllogismum: Maledictus qui non manserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea At ego non mansi in iis. Ergo ego sum maledictus. Hic syllogismus est non tam vocationis efficacis, quàm præparationis ad illam. Itaque vocatio efficax propriè fit per Evangelium, cujus doctrina comprehendi potest hoc syllogismo: Quisquis crediderit, justificabitur ac vivet. At ego credo. Ergo ego justificabor & vivam. Propositio est vox Evangelii. Assumtio & conclusio est conscientiæ, non quidem in statu naturali manentis, sed in supernaturalem statum translatæ, quatenus nempe prædita est vera fide, quæ sibi applicat Christum, & eum quidem primùm crucifixum, deinde glorificatum.

4. *An Evangelium pertineat ad omnes illos, qui vocantur?* N. Pertinet enim ad illos omnes & solos, qui credunt. His est poten-

tia Dei ad salutem: his est odor vitæ ad vitam. Reliquis est odor mortis ad mortem. Nimirum Evangelium est lætum nuntium de salute filiorum Dei: quod nihil attinet ad canes & porcos, ut loquitur Scriptura.

5. *Annon promissiones Evangelij sint universales?* Sunt: sed respectu credentium. Nam omnibus credentibus in universo mundo annuntiant salutem per Christum.

9. *An Evangelium Iohannis rectè adhibeatur adversus omnis generis tentationes & pericula?* N. Est enim hic abusus & mera superstitio.

7. *Cur Evangelium sit obnoxium odiis, calumniis, & persecutionibus?* Quia diabolus & ipsius squamæ non possunt ferre jugum Christi quod Evangelium nobis imponit.

8 *Quinam sint veri Evangelici?* Qui credunt in Christum, & vivunt vitam Evangelio dignam, imitando Christum, & abnegando seipsos.

9. *An quatuor sint Evangelia?* Est unicum duntaxat Evangelium, & illud quidem æternum; de salute per Christum. Quatuor autem, quæ dicuntur, Evangelia, sunt totidem systemata historiæ Evangelicæ de Christo.

CAP.

Cap. XXVII.

De persona & officio Christi.

1. AN Christus sit verus Deus & verus homo? Ita est. Nam qui est homo, constans ex anima rationali & corpore humano, & dicit se esse verum Deum, illudque re ipsa, putà operibus soli Deo propriis, demonstrat, is utique pro tali est habendus. Atqui hæc omnia in Christo invenire est. E.

2. *Quomodo fieri possit, ut duæ naturæ in Christo non constituãt duas personas?* Quemadmodum surculus insitus trunco constituit unam numero arborem, & anima rationalis in corpore humano constituit unum numero hominem: sic humana Christi natura, subsistens in λόγῳ, constituit unam personam cum λόγῳ.

3. *Quomodo Christus nasci potuerit ex virgine?* Quemadmodum Spiritus S. in principio creationis fœcundavit terram: ita ille ipse fœcundavit Mariam. Neque verò ipsius virginitatẽ sustulit partus: quia cognitio viri est causa corrũpẽs virginitatis.

4. *Quomodo Christi mors sit nostra vita?* Quia est mors Filii Dei patefacti in carne, & mortem nobis incumbentem vincentis morte sua gloriosa. Ille siquidem vices nostras subiit, & loco nostro ceu spõsor, Deo satisfecit in solidũ. Cæterũ mũdo ejusq; sapienti-

pientibus mysterium hoc redemtionis Christo præstitæ, est stultitia. Opus itaq; est oculis fidei.

5. *An Christus mihi & tibi salutem quisierit, & pro me atque te passus sit ac mortuus?* Omnino. Nam quicunque credit Christum, morbos suos pertulisse, & peccata sua expiasse: & quicunque Christum magis magisque cupit fieri conformem quantum ad passionem: pro illo Christus est passus & mortuus, illique salutem æternam acquisivit. *Esa.53. Ioh.3.* &c. Jam assumé: Atqui ergo hoc credo: tu hoc credis E.

6. *Quæ sit via ineunda, ut cum Christo vera ineatur societas, communio, & amicitia?* Tres gradus sunt observandi, hoc modo. *Primus gradus* ineundæ hujusmodi societati necessarius, est vera in Christum fides. *Secundus gradus* ad retinendam cum Christo societatem necessarius, est vita Christo digna. *Tertius gradus*, quo societas cum Christo confirmatur, est tolerantia crucis ipsius.

7. *An nomen* JESUS *in se habeat vim aliquam pellendi dæmonem, faciendi miracula &c?* Nullam prorsus. Oportet enim ut aliquis non solùm præditus sit fide salvifica, sed etiam fide miraculorum, si in nomine JESU velit patrare miracula. Deinde nul-

lum

lum est dubium, quin diabolus turbetur, quoties audit nomen JESUS. Verùm enim verò non moratur ipsum sonum, vel ētiam petitum, si homo, qui profert hoc nomen, destituatur vera in Christum fide.

8. *An rectè faciant, qui ad pronunciationem nominis* JESUS *nudant capita & flectunt genua?* Ceremonia ista est indifferens. Observandæ itaque sunt regulæ, quæ infra traduntur de libertate Christiana. Summa hæc est, Qui defunguntur hoc ritu ex mera consuetudine, graviter peccāt: qui ex fide & devotione, rectè faciunt: dummodo illos non condemnent, qui ceremoniam istam vi libertatis Christianæ omittunt.

9 *Num rectè faciant, qui à nomine* JESUS *se appellant Jesuitas?* N. Nam credentes in Christum Spiritu sancto authore jam inde ab initio collectæ Ecclesiæ appellati fuerunt Christiani *Act.* 11. 26. Quæ appellatio deinceps fuit frequentata *Actor.* 26. 28. 1. *Pet* 4. Et meritò retinetur: utpote quæ in nobis excitat atque fovet fidem in Christum, nobisq; ob oculos ponit unctionem illam, qua facti sumus reges & sacerdotes in Christo. 1 *Pet.* 2. 5 *Apoc* 1. 6. Meritò itaq; rei peraguntur novitatis, schismatis atque sacrilegii, qui à nomine JESUS cognominari volunt socii Jesu. Ubi non est præterea-

cun-

eundum extra societatem Jesu nullam ess spem salutis relictam : & proinde omn Christianos pertinere ad illam societatem. Quæ quomodo ineatur, vide paulò an quæst 6.

10. *An idololatra sit, qui carnem Chris adorat ?* N. Non enim adoramus carne nudam, sed carnem Dei, sive Deum incar natum. Proinde caro, quæ secundùm su naturam non est adorabilis, adoratur in Filio Dei incarnato : ideoque non propte seipsam, sed propter unitam sibi hypostasi τῦ λόγυ.

11. *An sola Christi passio sub Pilato & m crucis sit persolutio pœnæ pro peccatis nostri* Negatur. Nam humilitas incarnationis, continua miseria Christi post incarnatio nem pertinet ad illam persolutionem pœ næ. Huc itaque pertinent ejus concepti in matre pauperrima, nativitas cum pau pertate & inopia conjuncta, paupertas u universa vita, pericula vitæ varia, infir mitates corporis, ignorantia, tentationes contristatio, ignominia multiplex, & de nique extrema & magna illa passio, qua fuit posita in lucta ejus in horto, in sudor sanguineo, in exsecratione quam subiit cruce, in morte, in sepultura, & in descensu ad inferos.

12. *An obedientia Christi, quam dicimu*

vita

vitæ, sit pars iustitiæ illius, quæ nobis imputatur? Quatenus Christus obnoxius factus fuit legi, tanquam illius servus, cùm esset legis dominus; eatenus illa obedientia cẽsetur nostra. Itaque tota œconomia salutis nostræ posita est in servitute Christi mediatoris: quam ille servivit loco nostro, partim agendo, partim patiendo. Summa: Quidquid Christus fecit & passus est ut sponsor & mediator noster, id omne loco nostro fecit & passus est.

13. *An in solo Christo quærenda sit omnis nostra perfectio?* Sic est. Nam ipsius officium est, omnia electis à Deo impetrare & efficaciter conferre, quæ ad salutem requiruntur. Ipse est mediator, redemtor, sponsor, intercessor, salvator, rex, propheta, sacerdos pastor, caput, vitis, sponsus, & dominus noster.

14 *Cùm Christus persolverit λύτρον, quod in se sufficiens est ad expiandum peccata omnium & singulorum hominum, cur Deus illud non applicet oĩbus & singulis?* Hîc dicendũ est cũ Christo, ẽt Pater, qa sic placuit tibi, *Mat.* 11.

15. *An Christus hodiè appareat corpore suo in his terris?* De visione & ecstasi videtur concedi posse. Alias corpus Christi manet in cœlo usque ad consummationem seculi.

16. *An Christus tantùm sit mediator doctrina & exemplo?* N. Nam Scriptura V. & N. T. aliquid

aliquid augustius tradit de mediatione Christi *Esa.* 53. 1. *Pet* 1.

17. *An unio communio, cognatio, amicitia consanguinitas & fraternitas cum Christo in eo vertatur, quòd ille est nobis factus similis assumendo carnem & sanguinem humanum?* Opus est distinctione. Nam cognatio inter Christum & nos est partialis, vel totalis. Illa consistit in similitudine naturæ; hæc in similitudine vitæ. Illa potest appellari unio & communio physica: hęc, mystica. Illa sine hac nihil prodest. Denique illa potest consistere sine hac: hæc sine illa non item. Illo modo Christus est frater etiam reproborum: hoc, solorum electorum.

18. *Num homo in hac vita possit & debeat imitari Christum?* Opera Christi sunt duplicia: moralia, vel personalia. Opera moralia sunt dilectio Dei & proximi, in vita & morte. In his Christum imitari jubemur, ut ei conformes fiamus. *Matt* 11. 29. *Ioh* 13. 15. *Phil.* 2. 5. *Eph.* 5. 15. *Heb.* 12. 2. Opera personalia rursus sunt officii, vel miraculorum. Opera officii sunt prophetici, sacerdotalis, & regii. In prophetico eum imitari debent omnes fidi pastores. In officio sacerdotali & regio eum imitari non possumus, nisi analogicè. In operibus miraculorum nullo modo possumus Christum imitari.

CAP.

Cap. XXVIII.

De Ecclesia: ubi de ministris & hostibus ejus.

1. *Ecquis in hac tanta opinionum & sectarum varietate potest scire, quænam sit vera Ecclesia?* Ego hoc scio. Nam illa Ecclesia est vera, in qua invenitur incorrupta verbi Dei professio *Ioh. 8. v. 31. 47. c. 10. 27. c. 14. 23. Eph. 2. 20.* & legitimus sacramentorum usus *Matt. 28. 18. Act. 2. 42.*

2. *An tute es vivum veræ Ecclesiæ membrum?* Sum. Nam omnis qui credit in Christum, est vivum veræ Ecclesiæ membrum. Ecclesia siquidem est corpus Christi, cui tanquam capiti inseruntur, quicunque prædi ti sunt vera fide. *Ioh 15. Eph 4.*

3. *An Ecclesia catholica oculis corporeis dignosci possit?* Non potest. Nam Ecclesia Catholica est cœtus electorum, qui esse creditur, non verò sentitur.

4 *Si Ecclesia Catholica est invisibilis, quomodo fieri possit, ut aliquis se aggreget isti Ecclesiæ?* Gubernatio Ecclesiæ his in terris est duplex: invisibilis, & visibilis. Invisibilis gubernatio est interna, quæ nonnisi per fidem sentitur ab unoquoque fidelium in corde suo *Eph. 1. 13. c. 3. 15. c. 4. v. 6. 11. 11.* Gubernatio visibilis est externa, qua aspectabiliter reguntur fideles, ut in communionem cum Deo & inter se adducantur, & in

ea

ea retineantur, augescant, & suos faciat progressus. *Ephes.* 4. *v.* 12. 13. Visibilis ista gubernatio est publica, vel privata. Publica est Ecclesiastica, vel politica. Illa fit per ministros Ecclesiæ: hæc per magistratum Christianum, cui Deus Ecclesiam in his terris vult esse subjectam, quantum ad defensionem externam. Privata gubernatio Ecclesiæ fit à singulis pro vocatione & dono ipsorum. Nam nō tantum publicæ personę, sed etiam privati omnes in id incumbere debent, ut alii sint aliis exemplo atq; adjumento ad salutem, precibus, lectione & meditatione verbi, frequentatione concionum, usu sacramentorum, sancta conversatione, & similibus. Ex his efficitur gubernationem Ecclesiæ visibilem nobis certissimam esse manuductionem ad Ecclesiam Catholicam.

5. *An omnia & singula Ecclesiæ membra sint inter se paria?* Quantum ad electionem, vocationem, justificationem, sanctificationem & glorificationem affirmatur. Sed literis res habet, quantum ad circumstantias & dona. Nam alii vocantur summo, ut ita dicam, mane: alii serò. Deinde alii sunt firmi in fide, alii infirmi. Illi appellantur spirituales & perfecti *Gal.* 6. 1. *Hebr.* 5. 4. hi, infantes *Hebr.* 5. 12. Denique alii pluribus, alii paucioribus donis tum in hac,

tum in futura vita sunt insignes 1. *Cor.* 12. & 15.

6. *Cur Deus Ecclesiam in his terris velit esse sub cruce?* Quia ipsi placuit hac tessera & vexillo distinguere suos cives à civibus hujus mundi.

7. *An Ecclesia in his terris semper sit sub cruce?* N. Constat enim ex historia sacra, Ecclesiastica, & profana, item ex omnium temporum experientia, Deum subinde grata halcyonia præbere Ecclesiæ. Deinde Apocalypsis docet *cap.* 20. Ecclesiam, ab Antichristo liberatam, his in terris per mille annos liberam fore à persecutionibus.

8. *An Ecclesia his in terris sit pura?* Ecclesia Catholica perfecta est & pura, perfectione & puritate Christi capitis sui. Ecclesia particularis est pura, vel impura: idque secundùm plus & minus. Pura est, quatenus cultum incorruptum Deo præstat: perdurando in doctrina divina, Scripturis canonicis rectè intellectis comprehensa; & in disciplina, quæ vertitur in sacramentorum legitima usurpatione, & mandatorum divinorum, quantum ad sincerum Dei cultum & vitæ sanctimoniam, observatione. Impura est, in qua cultus Dei est corruptus.

9. *An Ecclesia impura desinat esse Ecclesia?* N. Etsi enim in cœtu aliquo vel in doctrina,

ctrina, vel in sacramentorum administra-
tione, vel denique in moribus, vitii qui-
piam obrepat: tamen cœtus ille Eccle-
Dei esse non desinit, dummodo funda-
mentum retineat, quod est Christus. Ex-
emplo sit Ecclesia Corinthiorum & Gala-
tarum.

10. *An hodierna Ecclesia Romana sit ve-
Ecclesia?* Est sanè Ecclesia Christi sed om-
nium impurissima. Retinet enim aliqu-
doctrinæ Christi, & Christianismi tes-
ram, baptismum: quantumvis multis em-
ribus & nævis permixtum. Alioquin ii, q-
in Papatu sunt baptizati, extra Ecclesiam
ac proinde nec baptismo Christi fuisse
baptizati. Deinde oportet hic distingue-
inter cœtum totum, & singula cœtus illi
membra. Etsi enim Ecclesia hodierna R-
mana est impura: multi tamen in ea su-
boni Christiani.

11. *An aliquis bona conscientia possit se-
gregare Ecclesiæ impuræ?* Quò sanior
purior est Ecclesia aliqua, eò libenti-
nos cum illa conjungere debemus: &
quò impurior, eò magis est cavend-
Si tamen non possimus nos adjunge-
Ecclesiæ puræ, satius est ad impura-
accedere, vel in in ea manere, quà-
esse extra Ecclesiam. Si verò possim-
ex Ecclesia impura transire ad pura-
oma-

omnino hoc facere tenemur. *Apocalyps.* 18. 4.

12. *Annon qualibet Ecclesia, quæ retinet fundamentum salutis, sit verè Catholica?* Opus est distinctione. Nam Catholica Ecclesia dicitur vel respectu loci, temporis, & hominum; & hoc modo Ecclesia particularis non est Catholica: vel respectu fidei Catholicæ; & hoc modo Patres rectè Catholicas dixerunt omnes illas Ecclesias, quæ fidem Catholicam omnium locorum, temporum, & fidelium hominum profitebantur.

13. *An successio sit nota Ecclesiæ Catholicæ?* Affirmatur de successione doctrinæ, non verò personarum. Nam sæpenumero usuvenit, ut justo DEI judicio Ecclesia in hoc vel illo loco amittat candelabrum suum: ut inprimis ex Apocalypsi videre est.

14. *An Ecclesia Catholica salus sit certa, & eiusmodi, ut illâ non possit extidere?* Ita est. Nam ita se habet liberatio Ecclesiæ, ut partim semel per Christum & in Christo liberata sit; partim quotidiè liberetur per Spiritum sanctum ab hostibus suis, donec perfectissimè tandem in fine seculi liberetur. Tres hæ liberationes individuo nexu cohærent, ita nempe, ut prima sit fons reliquarum, & postrema duarum antecedentium colophon.

15. *An ministri Ecclesiæ sint immunes ab erroribus & peccatis?* Nulli in hac vita sunt ἀναμάρτητοι. Quidam verò ex iis, ut Prophetæ & Apostoli, fuerunt positi extra periculum erroris, quantum ad rationem officii sui. Alia est ratio ordinariorum Dei ministrorum.

16. *An debeat esse ordo aliquis inter ministros Ecclesiæ?* Affirmativam suadet praxis V. & N. T. Et ut aliquid dicam de N. T. quis ignorat in ipsis Ecclesiæ incunabulis fuisse gradus pulcherrimos inter Apostolos Christi XII, & discipulos ipsius LXX?

17. *Annon sit consultum, ut sint generales quidam Episcopi, quales sunt Patriarcha in Oriente?* Si vitetur καισαροπαπία, quam vocant, hujusmodi Patriarchatus multum ornamenti & emolumenti adfert Ecclesiæ. Nam hoc est medium inter excessum curiæ Romanæ, & defectum nostrorum hominum, qui ordinem & dignitatem hujus augusti sane muneris abjecerunt instar asstros aulicos. Intelligenti pauca.

18. *Quibus limitibus contineatur potestas Ecclesiæ?* Potestas illa est vel electionum Ecclesiasticarum, vel dijudicandi controversias religionis, vel ordinis Ecclesiastici, vel jurisdictionis Ecclesiasticæ.

19. *Qualis sit potestas electionum Ecclesiasti-*

siasticarum? Ad legitimam ministrorum Ecclesiæ electionem, totius Ecclesiæ, cujus interest, consensus atque suffragium postulatur. Qui verò ab Ecclesia liberis suffragiis electus est, à posterioribus solis accipere debet ordinationem.

20. *Qualis sit potestas iudicandi controversias religionis*? Ea est privata, vel publica. Privata potestas judicandi controversias religionis est, qua potest, imò debet unusquisque fidelium, sive pastorum, sive auditorum, de dogmatum explicatione privatim judicare, ut pro se rectè cognoscat, dogmata religionis, inprimis fundamentalia, ne decipiatur decipiatque. 1. *Cor.* 10. 15. 1. *Thess.* 5. 21. Publica potestas est, qua pollent ii, qui publicam habent authoritatem, iique vel singuli sigillatim, vel plures conjunctim. Unus enim sigillatim judicare potest, velut Episcopus, vel Doctor Ecclesiæ. Plures autem conjunctim judicare possunt, cum causa aliqua difficilior requirit plurium legitimam vocationem habentium, non tantum Episcoporum, sed etiam aliorum peritorum Christianorum, cujuscunque sint ordinis, cognitionem & decisionem; eamque vel in presbyterio, vel in colloquio, vel in Synodo. Cæterum hæc potestas Ecclesiæ ita est limitata, ut omnis decisio petenda sit ex Scripturis,

21. *Qualis sit potestas ordinis Ecclesiastici?* Ea vertitur in constituenda politia Ecclesiæ quantum ad ceremonias externas ad cultum Dei decenter peragendum utiles; item quantum ad externam morum formam homini Christiano conuenientem. Itaque respicit solas res externas & indifferentes, hoc est, ad externum decorum pertinentes: non verò res internas, hoc est, animi pietatem & sanctitatem concernentes. Porò decreta super politia Ecclesiæ usitatè appellantur *Canones Ecclesiastici*, de quorum authoritate duæ cautiones sunt notandæ. 1. ne illi canones tanquam præcepta diuina conscientias obligare, aut ad salutem animarum pertinere censeantur. 2. ne existimentur immutabiles & irrevocabiles, sed etiam ubique iidem.

22. *Qualis sit potestas iurisdictionis Ecclesiastica?* Est jus à Deo Ecclesiæ datum tuendi disciplinam Ecclesiasticam in officiis judicandis & tollendis. Estque communis, vel propria. Communis est, cui singuli esse debent omnia membra Ecclesiæ. Hæc appellatur usitatè *potestas clauium*: cuius partes duæ sunt, ligatio & solutio. Ligatio est 1. admonitio, seu reprehensio privata, atque domestica, vel capitularis seu consistorialis. 2. abstentio, sive suspensio à sacra cœna, priuata. 3. admonitio publica, 4. ab-

stem-

stentio publica. 5. excommunicatio; eaque simplex, vel anathema. Solutio, sive absolutio Ecclesiastica, similiter est publica, vel privata. Iurisdictio Ecclesiastica propria est, cui Episcopi & cæteri Ecclesiastici subiecti sunt. Estque vel depositio ab officio, vel segregatio omnimoda ab Ecclesia. In his partibus jurisdictionis observandus est canon fidei & charitatis. Ille sibi propositam habet Scripturam, ut illius authoritatem sequatur; hic respicit qualitatem delicti, & delinquentis.

23. *Quomodo Ecclesia debeat se gerere in Concilio, sive illud sit universale, sive nationale, sive provinciale?* Omnia definire debet ex Scripturæ judicio, asserendo puram doctrinam adversus hæreticos; & canones Ecclesiasticos vel sanciendo, vel sanctos confirmando.

24. *An Ecclesia possit damnare personam?* Potest. Nam damnatio Ecclesiastica est, qua falsa injustaque causa improbatur in negotio religionis. Oportet autem interdum damnare non solùm dogmata falsa, sed etiam personas tum errantes, tum peccantes. Excommunicatio certè est damnationis species, qua damnatur persona.

25. *Quàm varij sint hostes Ecclesiæ?* Alii sunt aperti, ut Iudæi & Pagani: alii dissimulati, ut Antichristi, Pseudochristi, & Pseu-

dochristiani. Sub Antichristis comprehenduntur hæretici manifesti & occulti.

26. *Quid de Antichristo summatim sit tenendum?* Ista tria. 1. Omnes hæretici sunt Antichristi: ut Cerinthus, Marcion, Arius, Pelagius. 2. Papa Romanus est peculiariter Antichristus ille, qui inde à tempore primitiuæ Ecclesiæ operatus est mysterium iniquitatis. 3. sub finem seculi emerget Antichristus ille, qui sanctis movebit bellum Gogico-Magogicum *Apoc.* 20.

27. *Quid de erroribus & errantibus in negotio religionis statuere debeat Ecclesia?* Error alius est levior, alius gravior. Ille est in dogmate minus principali, quo non concutitur fundamentum salutis: hic est in dogmate principali, quo fundamentum Ecclesiæ & salutis nostræ continetur. Deinde errantium duo sunt genera: alii pertinaces, alii non. Pertinaces sunt: qui admoniti & convicti ex verbo Dei, non cedunt meliora docentibus, sed errorem suum mordicus defendunt. Hi usitatè appellantur hæretici. Sunt autem duo illorum genera. Alii enim ex ignorantia & cœco zelo, alii ex malitia errant. Non-pertinaces sunt, qui ex infirmitate errant, parati semper cedere, & errorem corrigere, si meliora doceantur. Atque hi, rursus vel concipiunt ipsi errorem, videl. ex simplicitate: vel ab aliis accipiunt, quadam

quadam stulta credulitate, quam in iis excitat curiositas.

CAP. XXIX.

De vocatione ad salutem.

1. *QVis scit, an Deus me ad Christum vocaverit, ut parta per eum salutis fiam particeps, & per eundem consequar vitam æternam?* Ego hoc scio. Nam quicunque credit Evangelio, illi Evangelium est potentia ad salutem. *Rom.*1.16. Atqui ego credo Evangelio: Christum videl. esse redemtorem unicum, & quidem meum redemtorem.

2. *An vocatio externa semper sit coniuncta cum vocatione interna?* Negativam probat Scriptura *Matth.*20.16. & experientia, ut in Juda proditore & aliis videre est.

3. *Unde possimus esse certi, nos vocari non tantùm externè, sed etiam internè?* Ex fide, & fructibus fidei: ut sunt gaudium Spiritus, odium peccati, displicentia sui ipsius, gemitus ineffabiles &c. Etenim vocatio interna est nova quædam creatio, per quam in nobis existunt fides & sanctitas, tanquam duo principia vitalia hominis spiritualis.

4. *Quomodo nos gerere debeamus, si sentiamus, nos nondum esse vocatos internè?* De-

bemus DEUM pati, diligenter audire & m
ditari verbum ipsius, instare precibus, p
tienter denique expectare horam nostra
Etenim alii vocantur ante meridiem, a
sub meridiem, alii sub vesperam.

5. *An homo possit promovere sui vocati
nem ad salutem, & se disponere ad illa*
Non potest. Nam homo in vocatione ist
utpote nova creatione, se habet merè pas
vè, & est tanquam materia, ut Philoso
loquuntur.

6. *Cur Deus homines plurimos vocet tu
tùm externè?* Hoc est inter occulta Dei
dicia referendum. Ipsi enim placet, ut mu
quidem sint è numero vocatorum, pauciv
rò ex numero electorum.

7. *An gratia vocationis habeat sibi cu
junctam gratiam justificationis?* Gratia vo
cationis est duplex: oblationis & recepti
nis. Illa communis est electis & reprobis
hæc propria est electorum. Itaque sola gr
tia receptionis comitem habet justificatio
nem. Hic itaque est ordo. Gratia vocation
efficacis seu internæ, quæ etiam dicitur gr
tia fidei & resipiscentiæ, comitem habet gr
tiam justificationis: gratia justification
comitem habet gratiam sanctificationis
denique gratia sanctificationis comitem
habet gratiam glorificationis.

CAP.

CAP. XXX.

De fide.

1. *QVomodo aliquis scire possit, se veram & salvificam fidem præditum esse?* Duobus modis: à priori & posteriori. *A priori*: nempe ab ortu fidei, in quo quinque gradus sive motus cordis solent à Christianis deprehendi. 1. sensus miseriæ. 2. notitia & assensus evangelii. 3. spes veniæ. 4. vehemens appetitio gratiæ DEI in Christo. 5. accessus ad thronum gratiæ, cum speciali persuasione & applicatione. *A posteriori*: nempe à propriis veræ fidei effectis & fructibus; quorum duo sunt præcipui. 1. filialis affectus, quo quis intrepide & sine intermissione clamat, *Abba, Pater*. 2. mortificatio veteris, & vivificatio novi hominis; seu virtus Christi fide apprehensi vires suas in nobis exerens.

2. *Quomodo se consolari debeat, qui est præditus infirmâ fide?* Tria ista sibi ob oculos ponat. 1. parvam, sive infirmam, fidem, esse veram fidem; siquidem sint gradus fidei, quorum unus est ὀλιγοπιστία. 2. serium credendi studium, & desiderium obtinendæ gratiæ, esse nascentis fidei semen. *Matth.* 5. 6. *Apoc.* 21. 6. DEUM non aspernari exiguam fidem, sed illam fovere. *Esa.* 42. 3.

3. *An vera fides comitem possit habere ali-*

quam incredulitatem? Omnino. Nam fides parva interdum ita parua est, ut non tantum ὀλιγοπιστία, sed etiam nonnunquam ἀπιστία appelletur. *Marc.* 9.

4. *Quid facto sit opus circa tentationes ortam ex infirmitate fidei?* Tria ista remedia sunt adhibenda. 1. Invocatio ardens Spiritus sancti, ut excitet atque augeat nobis fidem. 2. Meditatio verbi Dei jubentis nos credere, etiam contra spem sub spe. 3. Usus patio instrumentorum, quibus fides procreatur & conservatur: ut sunt prædicatio Evangelii & usus sacramentorum.

5. *Quomodo nos debeamus consolari, quando angimur ob finalem in fide perseverantiam*? Opera nobis est danda, ne labamur, vel carnali securitate, vel diffidentia & trepidatione Illa cavetur, quando nitimur viribus nostris, & donis Dei in nos collatis: hæc, quando infirmitatem nostram, Satanæ vim & calliditatem, & multiplices sanctorum lapsus intuemur. Securitati medentur exhortationes & comminationes divinæ, itemq; timor Dei filialis. Diffidentiæ & trepidationi medetur consideratio promissionum Dei de perseverantia sanctorum *Psal.* 3. & 37. 24. *Esa.* 46. 4. *c.* 54. 10. *Rom.* 8. 38. & *seqq.* 1. *Ioh.* 3. 24.

6. *An fides miraculorum sit præstantior fide salvifica*? N. Nam fidei salvificæ duo sunt

sunt munia. 1 quòd ea pro se quisque certò persuasus est, ad se quoque promissiones Dei pertinere. 2. quod ea sola, tanquam vnica manu, accipimus & apprehendimus oblata à Deo beneficia, tum spiritualia, tum corporalia: ita ut illa sine fide nobis non prosint. Hinc patet, fidem salvificam antecellere fidem miraculorum; utpote quæ sine fide salvifica nihil prodest ad salutem: ut quando cadit in hypocritas. *Matth.* 7.

7. *An fides salvifica sit habitus infusus, vel acquisitus?* Fides est infusa, vel acquisita. Fides infusa est certa illa persuasio, à Spiritu sancto in corde nostro accensa. Atque hæc est fides salvifica, sive justificans. Fides acquisita est, quam habemus ab Ecclesia. Atque hæc non sufficit ad πληροφορίαν, hoc est, ad certam persuasionem. Interim verum est, fidem justificantem semel infusam à Spiritu sancto per crebros credendi actus in nobis foveri & roborari.

8. *An fides salvifica Christum apprehendat?* Christi & beneficiorum ipsius duplex est consideratio. Primum enim Christus cõsideratur, ut offertur in verbo & sacramentis; hoc est, ut offertur in speculo non tam Christus ipse, quam imago quædam ipsius. 1. *Cor.* 13. 11. 2. *Cor.* 3. 18. Christus sic cõsideratus, nihil aliud est, quam Christus prædicatus in

verbo, & in sacramentis repræsentatur. *Gal* 3.1. Deinde Christus consideratur extra hoc speculum verbi & sacramentorum, sicuti est in seipso 1. *Cor* 13 12. 1. *Iohan*. 3.2 Ut duplex est Christi consideratio; ita ipsius cognitio & apprehensio est duplex. Prior, fides vocatur; posterior, εἶδος sive aspectus. 2. *Cor*. 5. 7. Duo hi cognoscendi & apprehendendi modi conveniunt quidem inter se natura & essentia. Utrobique enim est cognitio & apprehensio Christi: differunt quantitate, &, ut loquuntur, secundùm majus & minus 1. *Cor* 13. *v*. 9. 10. 12.

9. *Quodnam sit obiectum fidei salvificæ?* Objectum ejus in genere est, quidquid in verbo DEI continetur, hoc est, universa veritas DEI. In specie verò, & proprie, objectum est Jesus Christus cum beneficiis suis.

10. *An fides salvifica habeat locum in vita æterna?* Objectum fidei hujus constat materiali & formali. Materiale ipsius est misericordia DEI in Christo: quæ sane est æterna. Formale fidei est duplex. 1. recumbere & acquiescere in misericordia DEI, quæ est in Christo, & nobis offertur in Evangelio. 2. recumbere in eadem misericordia, postquam immissi sumus in possessionem vitæ æternæ. Ex hoc sequitur, quo tempore cessabit verbi prædicatio, & sacramentorum ad-

ministratio, cessaturam pariter & fidem hanc, per quam nunc incedimus.

11. *An fides implicita sit vera fides?* Fides implicita dicitur ambiguè. Aut enim sic appellatur illa fides, qua quis sensum suum obedienter Ecclesiæ submittit, & credit non intellecta, ac pro vero amplectitur, quidquid Ecclesia præscripserit, & inquirendi cognoscendique provinciam ad ipsam relegat, & non est solicitus, an vera præcipiat Ecclesia, necne: aut hoc nomine venit cognitio Christi confusa, vel fiducia variis tentationum procellis agitata & tantùm non obruta. Priori sensu fides implicita est commentum sophistarum: posteriori, est commune donum filiorum Dei, cum Satanâ, mundo, & carne luctantium.

12. *Ubi fides justificans habeat suam sedem?* Formaliter, ut loquuntur, fides justificans est in mente; utpote cujus est cognitio sive intellectio, & judicium sive assensio; judicium dico tum generale, tum speciale, quod dicitur applicatio: virtualiter seu ἐνεργητικῶς est in voluntate. Ibi enim locum habet fiducia, effectum fidei primarium.

13. *An fides viva sit viva per bona opera?* Opus est distinctione. Nam fides salvifica à priori est viva per apprehensionem Jesu Christi: à posteriori, per bona opera. Itaq;

hoc non habet à bonis operibus, quod est viva, sed vitam suam demonstrat per bona opera.

Cap. XXXI.

De pœnitentiâ.

1. *An pœnitentia sit satisfactio pro peccatis?* Non est. Nam solus Christus in solidum satisfecit pro peccatis nostris. *Esa.* 53. 1. *Ioh.* 1.

2. *Cur pœnitentia sit necessaria?* Ut antecedat fidem, tanquam causa sine qua non; & eam sequatur, tanquam effectum. Oportet enim ut primo Deum aspiciamus tanquam offensum & severum judicem: deinde, tanquam misericordem & clementem patrem in Christo: tum afferre decet desiderium & spem veniæ, ac propositum non iterum peccandi.

3. *An desperandum sit ob magnitudinem, vel multitudinem peccatorum?* Minimè vero. Nam dilectio Patris, satisfactio Filii, & consolatio Spiritus sancti est multo major, quam omnia nostra peccata.

4. *An, qui procrastinat pœnitentiam, sit reprobus?* N. Nam electi sæpe procrastinant pœnitentiam ex infirmitate.

5. *Unde cognosci possit, pœnitentiam non esse hypocriticam?* Si quis percellatur dolore secundum Deum, & studiosè viter peccata.

6. *Quid*

6. *Quid inprimis nos impellere debeat ad studium pœnitentiæ?* Ipsius præstantia & fructus. Etenim resipiscere nihil est aliud, quam sapere postquam intelligimus nos desipuisse. Itaq; resipiscentia in eo est posita, ut stultitia nostra rite agnita incipiamus sapere. Quo quidem nihil est præclarius & fructuosius: Atq; hæc est prora & puppis Christianismi: hic scopus omnium concionum: hæc unica cura omnium filiorum Dei in hac vita: hæc eorundem nota characteristica, qua discernuntur à filiis hujus seculi: hæc denique fuit summa primæ concionis tum Christi, tum Johannis Baptistæ *Matth.* 4.

7. *Quousq; possit impius progredi in pœnitentia?* Triplex est impiorum progressus in pœnitentia. Minimus est illorũ, in quos cadit dolor, vel potius horror, qui est ex lege; idq; non propter peccatũ, vel offensum Deũ, sed propter peccati pœnam. In hoc genere fuit Judas proditor *Matth.* 27. Secundus, & medius gradus est eorum, in quos cadit animi mutatio aliqua in bonum: sed nõ sincera, verum ex formidine pœnæ. In hoc genere erat Saul 1. *Sam.* 15. item Achab 1. *Reg* 21. & Esau *Hebr.* 12. Tertius & supremus gradus est illorum, qui fidem temporariam obtinẽt. In hos cadit dolor ex Evangelio, & agnitione misericordiæ Dei in Christo: item animi mutatio in bonum, aliquo modo propter bonũ: deni-

denique gaudium, & vitæ emendatio magis diuturna, quam in supra dictis. In hoc genere videtur fuisse Herodes *Marc.6.29.*

8. *An resipiscentia proficiscatur à nostris viribus?* N. Etenim liberum nostrum arbitrium post lapsum nullum est ad bonum, inprimis ad conuersionem ad Deum *Gen.6.5.* Deinde resipiscentia est donum Dei *Act.11.18. 2. Tim.2.25. Ier.31.18.* Resipiscentiæ ergo causa efficiens principalis est Deus ipse. Causæ administræ sunt tum ministri Dei ad resipiscentiam inuitantes *Act.26. v.18. 20. c.2.38.* tum iidem ministri & alii pii exemplo suo *Matth.5.16. 1. Petr.2.12.* Causæ instrumentales sunt aliæ ex parte Dei, aliæ ex parte nostra. Ex parte Dei est mandatum ipsius in concione Euangelii *Ier.1. v.16.17. Matth 3.2. & 4.17.* item crux tum nostra, tum aliorum piorum, sive sensus judiciorum Dei *Psal.119.71.* denique beneficia Dei *Rom.2.4.* Ex parte nostra est fides in misericordia Dei recumbens. Hac enim purificantur corda *Act.15.9.* Ex hac item fluit dilectio Dei, sine qua conuersio fieri non potest. Hinc patet, pœnitentiam salutarem esse posteriorem fide.

9. *Quanam sint partes resipiscentiæ?* Duæ: mortificatio veteris, & vivificatio noui hominis. *Mortificatio veteris hominis* est, qua peccatum in nobis aboletur. *Rom.6.v.4.*

5.6.

5.6. *Coloss.*3.v.5. *& seqq.* Constat peccati agnitione, & contritione salutari *Psal.*38.19. *Agnitio peccati* est interna, vel externa. Illa est, cùm in corde sentimus onus peccati nos premens, *Rom.*2.15. hæc est peccati confessio *Psal.*38. *&* 39. Estque publica, vel priuata. Publica est vel totius Ecclesiæ simul, vel unius aut plurium coram Ecclesia. Publica totius Ecclesiæ confessio est ordinaria, vel extraordinaria. Priuata confessio est, quæ priuatim fit ab aliquo, etiam intra priuatos parietes. Eaque vel soli Deo fit, vel homini. Deo quisque peccata sua confiteri debet. Ille enim læsus est & offensus: ille est, qui ea remittit, obliuiscitur, delet. Priuata confessio, quæ homini fit, duplex est. Una, quæ nostra causa fit; altera, quæ in proximi gratiam est facienda. Illa est, qua aliquis nostrûm alteri suas infirmitates, & secretum animi vulnus detegit, ut consilio & consolatione adjuvetur, *Iacob.*5.16. hæc est, qua proximum offensum à nobis, placamus, & nobis reconciliamus *Matth.*5.23. Quod attinet ad priorem illam, ea fit vel pastori, vel alteri alicui amico fideli. Atque hæc est confessio peccati. *Contritio salutaris* est altera mortificationis pars, agnitionem peccati sequens; nimirum verus pavor & dolor conscientiæ, tristitia, ac luctus cordis secundùm Deum, propterea quòd Deum offenderimus, habens adjun-

adjunctam detestationem & verum odium peccati *Iacob.* 4. 9. *Esa.* 66. 2. *Ezech.* 36, 31. *Matth* 5. 4. Secunda pars resipiscentiæ est *vivificatio novi hominis*, quam novam spiritualem vitam in Christo vivimus. Partes ejus duæ sunt: lætitia conscientiæ per Christum, & nova obedientia. *Lætitia conscientiæ per Christum* est, cum homo contritus & humiliatus ob peccatum, resocillatur Spiritu, ut lætetur in DEO placato per Christum *Psal.* 51. 10. *Nova obedientia* est, cum homo mortificata carne, totam deinceps vitam ad voluntatem Dei & sanctam ejus legem conformat. Partes ejus duæ sunt; fuga mali, & consectatio boni. *Psal.* 34, 15. *Es.* 1, *v.* 16. 17.

10. *An mortificatio veteris hominis, & vivificatio novi, sint opera Dei vel hominis?* Diverso sensu hæ duæ partes tribuuntur regenerationi & resipiscentiæ. Nam regenerationi tribuuntur activè, id est, ut actiones Dei mortificantis & vivificantis, sicut & regeneratio est actio Dei: resipiscentiæ vero passive, id est, ut passiones hominis resipiscentis, qui mortificatur & vivificatur: cum homo is sit, qui resipiscit, in principio conversionis habens se passive, resipiscentia vero donatus & regenitus, ipse ex [illegible] à Spiritu sancto actus.

11. An

II. *An in resipiscentia homo electus sibi satisfacere possit?* N. Nam homo resipiscens sentit suam imperfectionem, & ideo sibi succenset.

CAP. XXXII.

De justificatione.

I. *QVomodo aliquis possit esse certus de remissione peccatorum?* Duobus modis: a priori & posteriori. *A priori:* quia qui est vocatus, & prædit⁹ vera fide, ita nempe, ut certo statuat, redemptionem factam per Christum, non minus ad se, quam ad cæteros electos pertinere; is verè est justificatus, ita ut ipsi remissa sint omnia peccata, maxima, medioxima, & minima. *A posteriori:* quia qui sentit gaudium ineffabile in corde suo, ortum ex plerophoria fidei; & concipit spem vitæ æternæ; & sine intermissione clamat, *Abba, Pater*; & denique mandata Dei magis magisque observat, ille est justificatus Sic igitur ex vocatione & sanctificatione colligitur justificatio.

2. *Quid potissimùm sit observandum circa remissionem peccatorum?* Discrimen inter justitiam, adeoque justificationem, legalem & Evangelicam. Quod discrimen ut fiat manifestum, pauca ista tenere oportet de fœdere Dei. 1. Fœdus Dei in genere

est

est pactum, quod Deus vltrò cum hominibus init, promittendo illis aliquod bonum, & eosdem vicissim obstringendo, ut præstent ea quæ ab ipsis requirit. 2. Hoc fœdus est duplex: operum & gratiæ. 3. fundamentum fœderis operum est justitia originalis: conditio, justitia factorum, seu bonorum operum, proficiscentium, non à gratia Dei in Christo, sed à gratia creationis, seu à natura hominis integra: bonum promissum, est vita æterna. 4. Fundamentum fœderis gratiæ est Christus mediator; conditio, fides in Christum: bona promissa, donatio Spiritus sancti, communio cum Christo, conseruatio in hac communione, & donatio vitæ æternæ. 5. Homo excidit fœdere naturæ. Vnicum itaque ipsius refugium est ad fœdus gratiæ.

3. *An in fœdere operum requisita sint ab homine opera bona in creatione prima, tanquam vita æterna promissa meritoria?* N. Sunt enim requisita ab homine integro, tantùm ut officia gratitudinis erga creatorem, propter illud creationis beneficium; adglorificandum videl. Deum creatorem.

4. *An non Christus* Matth. 19. 17. *proponat veram iustificationis rationem?* Sane proponit. Verùm intellige justificationem legalem. Nam Dominus ibi respondet ei, qui quærebat sibi vitam ex lege, & adhære-

bat

bat fœderi operum, imò præfidebat operibus tanquam meritis Cuivis autem, qui quærit justitiam extra Christum in lege, proponenda est pactio operum legalium.

5. *Si bona opera non iustificant, cur requirantur à nobis?* Requiruntur, fateor, bona opera ab iis, qui jam in Christo sunt, & justificati sunt, sed ea sunt opera gratiæ, & quidem solius gratiæ, non verò etiam liberi arbitrii, seu naturæ bona opera.

6. *Si non iustificamur per legem, quisnam sit eius usus?* Lex ante lapsum erat norma operum naturæ, hoc est, propriis viribus præstandorum. Sed jam alium quendam usum habet, manetque nunc ut norma & regula operum gratiæ & sanctificationis. Cessat ergo lex, ut norma est operum naturæ, ex formulâ fœderis operum: manet vero iis qui in Christo sunt, ut est regula operum gratiæ.

7. *Quanam sit causa, per quam, & propter quam iustificamur?* Uno verbo justitia. Nam sine justitia justum censeri perinde esset, ac sine doctrina doctum, sine sapientia sapientem censeri. Justitia autem, per quam coram Deo justificamur, est obedientia Jesu Christi, qua is perfectissime toti legi Dei pro nobis satisfecit tanquam sponsor noster. *Rom.* 5 19. *Phil.* 2. 8. *Matt.* 3. 15. c. 5, 17. *Rom.* 10. 4. *Gal.* 4, v. 4. 5. Nam justi-

tia

tia est impletio legis. Oportet autem nos justificari per impletionem legis, vel nostram, vel alterius pro nobis. Per nostram non possumus: quia impossibile nobis est in hac vita legem Dei implere. Ergo per alterius, videl. Christi, pro nobis. Unde sequitur, etiam justitiam in Evangelio patefactam, esse impletionem legis, à Christo factam pro nobis; nobis verò ex gratia à Deo imputatam, perinde ac si à nobis facta esset, & in nobis ipsis resideret. *Rom* 10. 4.

8. *Quomodo iustitia Christi fiat nostra?* Quatenus sumus una cum Christo persona, ipsi videl. tanquam capiti insiti tanquam membra, idque per Spiritum ipsius & nostram fidem in ipsum.

9. *Unde possimus esse certi de nostri iustificatione?* Ex sanctificatione, hoc est, studio bonorum operum, & ex gaudio spirituali.

Cap. XXXIII.

De libertate Christianâ.

1. *Qualis sit libertas filiorum Dei?* Est spiritualis. *Gal* 5. 1. Proinde est beneficium Dei, quo omnes, qui justificantur, fiunt filii Dei, adeoque per Christum à spirituali servitute liberantur. Eaque libertas *Christiana* dicitur, tum quia à Christo parta est;

est; tum quia est omnium Christianorum, hoc est, fidelium.

2. *An non Christiani in N.T. habeant peculiarem aliquam libertatem, quæ non fuit in V.T?* Ita est. Nam libertas Christiana alia est communis omnium fidelium in V. & N.T. alia propria fidelium N.T. Ibi est libertas à rigore seu severitate legis moralis, à servitute peccati, & à jugo traditionum humanarum; hîc est libertas à legibus Mosaicis ceremonialibus & forensibus, & denique libertas in adiaphoris.

3. *An lex moralis planè sit abolita electis?* N. Nam illi solùm sunt liberi à rigidissimâ legis moralis exactione, quâ postulat à nobis perfectissimam obedientiam; item à maledictione seu pœnâ ob violationem legis: cum Christus sponsor pro nobis factus, & obedientiam illam perfectam pro nobis præstiterit, & maledictionem pœnamque pro nobis subierit & pertulerit. Unde porrò consequitur, nobis etiam partam esse libertatem à potestate & tyrannide diaboli, itemque à condemnatione & morte æternâ. *Iohan.* 8. 36. Et hactenus quidem lex moralis nobis est abolita. Sed quatenus eadem inservit fœderi gratiæ & Evangelio, adeoque evadit norma operum non naturæ, sed gratiæ, eatenus manet etiam iis, qui in Jesu Christo sunt. Nam una eademque est lex &

regula

regula operum bonorum quorumcunque, sive ea ex naturæ viribus, sive ex gratiâ præficiscantur; quemadmodum una eademque est Dei justitia, perpetuò sui similis permanens; cujus justitiæ, lex expressa quædam imago est. Manet itaque lex moralis, etiam in iis qui sunt sub Evangelio, sed aliquo modo, hoc est, ipso usu, mutata. Ut enim in Christo Jesu nova facta sunt omnia, ita & lex facta est quodammodo nova.

4. *An electus sit liberatus à servitute peccati: cùm videamus peccatum sæpe dominari in regenitis, ut in Davide?* Libertas à servitute peccati est, per quam vindicati sunt à dominio peccati, ut ne peccatum nos amplius dominetur, sed ut justificati & renati Spiritu sancto, citra coactionem, propriâ voluntate, & sponte potius, quàm obligatione, justitiæ & Deo vivamus. Cum hac libertate non pugnat infirmitas multiplex quâ laborant electi. Nam infirmitas est contra ipsorum voluntatem in ipsis est qua. Et verò infirmitas illa non dominatur quatenus nec illos è statu gratiæ deturbat neque victoriam de ipsis reportat. *Rom. 7. & seqq.*

5. *An simus liberati à jugo traditionum humanarum?* Ita est. Nam humanæ adventiones, ceremoniæ, & superstitiones quæ sub specie pietatis & religionis,

liæ obtruduntur, vel imperiosè imponuntur, neque possunt, neque debent obseruari ab ijs, qui sunt in Christo Iesu. Hujusmodi erant traditiones Pharisaicæ, quas Christus non morebatur. *Matth.9.v.*14.15.*c.*15.2.*c.*24 4. Confer 1 *Cor.*7 23.

6. *An simus liberati ab observatione legum cerem onialium & forensium apud Mosen?* Affirmatur; quatenus videl. illæ tantum ad pædagogiam veteris populi & politiam Mosis pertinuerunt. *Act.* 5.1. *Cor* 9.*v.*1.19.2. *Cor.*3.17. *Hebr.* 9.10. Nam quæ leges juris naturæ sunt, & omnes gentes obligant, eæ non sunt abrogatę.

7. *Quale sit libertas Christiana in rebus adiaphoris?* Id patet ex his regulis. 1. *Res adiaphoræ*, seu mediæ, sunt, quæ à Deo nec præceptæ, nec vetitæ sunt: sed ab hominibus traditæ, & institutæ. Ideo homines nec justos vel injustos faciunt, & Deo nec charos, nec odiosos reddunt. Quales sunt ceremoniæ humana authoritate institutæ, boni ordinis causa. 2. Res adiaphoræ *servari*, vel *omitti* possunt, rigore libertatis Christianæ. 3. *Servari* quidem possunt, concordiæ & vitandi offendiculi infirmorum causa *Rom.* 14.15.*c.*16.1. sed ita, ut semper removeatur opinio meriti, cultus, perfectionis, & necessitatis. 4. *Omitti* etiam possunt sine peccato extra casum scandali, & citra speciem abne-

gatæ veritatis, & citra omissionem necessa-
riæ confessionis. 5. Adiaphoræ igitur n
sunt *licita* vel *illicita*, pro circumstantiarum
ratione. 1. *Cor.* 8. 13. 6. In circumstantiarum
pugna & contrarietate, minoris momen
majoris momenti, & pauciores pluribus c
dant *Rom.* 14. 21. 7. Cavendum est, ne
adiaphoræ censeantur, quæ adiaphoræ n
sunt. Quales sunt res necessariæ, superstitio
sæ, & impiæ.

CAP. XXXIV.

De adoptione filiorum DEI.

1. AN *adoptio filiorum Dei cadat in*
vitam? Ita est. Etenim adoptio fili
rum Dei est beneficium Dei, per quod n
propter Christum in filios recipit, & hæ
des cœli vitæq; æternæ cum ipso facit. *Ro*
8. *v.* 15, 16. 17. *Gal.* 3. 26. *Eph.* 1. 5. *Ioh.* 1. 12. A
optio ista est duplex: *imperfecta*, quam
hac vita habemus, & *perfecta*, quæ in resu
rectione dabitur. De prima sic dicit apostolus *Rom.* 8. *Non enim accepistis Spiritum s*
vitutis iterum in timore, sed Spiritum a
optionis filiorum, in quo clamamus Ab
Pater. De secunda dicit ibidem: *Om*
creatura ingemiscit & expectat filiorum
Dei revelationem. Sed & nos ipsi Spiri
primitiæ

primitias habentes, gemimus intra nos, expectantes adoptionem & redemtionem corporis nostri.

2. *Vnde possimus colligere adoptionem nostri?* A priori & posteriori. Ibi est fides, & testimonium Spiritus sancti testantis vna cum Spiritu nostro: hic sunt timor Dei filialis, amor ejusdem super omnia, zelus pro gloria Dei, amor & studium concordiæ cum proximo. Nam filiorum est amare Patrem, & se inter se.

3. *An jus filiorum Dei possimus ipsi nobis acquirere?* N. Fimus enim filij Dei partim ab æterno, per electionem: partim in tempore, per vocationem & justificationem.

4. *An jus filiorum Dei possit amitti?* N. Nam adoptio filiorum Dei comites habet indivulsos, consolationem invictam, exauditionem precum infallibilem, defensionem adversus hostes juratam, liberationem è periculis, & denique donum perseverantiæ. *Ps.* 94.19. *Iohan* 14. *v.* 13, 14. *Psal.* 4. 9. 2. *Cor.* 1. 10. *Iohan.* 10. 28.

5. *An filij Dei possint degenerare?* N. Non enim excidunt hoc suo statu, etsi subinde offendant Patrem suum cœlestem. Nam adoptio illa non nititur sanctitate propria, sed paterno Dei affectu.

6. *An sola crux sit nota characteristica filiorum Dei?* N. si quidem per crucem intel-

ligatur adversitas. Alia vero est ratio cru
Christi. Hæc enim non imponitur nisi ve
Christianis.

7. *An felicitas externa sit nota charac
ristica filiorum Dei* ? N. Nam neque omn
neque soli filij Dei eam experiuntur.

Cap. XXXV.

De sanctificatione.

1. *Quotuplex hic sit conflictus* ? Dup
unus, de perpetrando peccato; al
de illo perpetrato. Ibi est solicitatio ad p
catum, eaque tum generalis, tum speci
hic est exaggeratio peccati, eaq; iterum
neralis, vel specialis.

2. *Quomodo fiat generalis solicitatio
peccatum* ? Tribus hisce modis. *Diab*
peccatum perpetrādum mire extenuat, p
tim opponendo misericordiam Dei, par
peccati pœnas occultando. *Caro* concupi
adversus Spiritum, affectus pravos gign
do, & bonos obruendo. *Gal.* 5. *v.* 17. *&* *Ja
Iacob.* 1.14. Denique *mundus* voluptate, i
litate, gloria, & pravis exemplis seducit
2.3.1. *Ioh.* 2.16.

3. *Quomodo se gerere debeat miles Ch
stianus circa generalem solicitationem
peccatum* ? Quinque ista prophylactica
hibe

bibeat. 1. Nullum peccatum leve existimet. 2. Occasiones peccatorum vitet cane pejus & angve. 3. Parvis peccatis subigendis assveſcat, ut tandem vincantur vel maxima. 4. In vocatione sua sit assiduus. 5. Carni lascivienti opponat legem Dei, ultimum judicium, pœnas Dei, præsentiam Dei, passionem Christi, fœditatē & noxam peccati, &c. imo carni vim faciat, illam crucifigendo: & preces absque intermissione fundat.

4. *Quomodo se gerere debeat miles Christianus circa specialem solicitationem ad hæc vel illa peccata?* Tria ista expendet: videl. irritamenta, effecta, & remedia. e. g. incontinentiæ irritamenta continentur hoc versu:

Otia, mensa, libri, vaga lumina, verba, sodales;
Hæc tolle, hanc minue, hos muta, hæc claude, hæc fuge, vita hos.

Ejusdem effecta comprehenduntur hoc versu:

Corpus, opes, animam, ingenium, famam, virtutes;
Debilitat, perdit, necat, impedit, inficit, aufert.

Remedia huius ipsius vitii sunt ista:

Lectio, flagra, precet, confessio, lympha, labores,
Portarum exeubia, Christi præsentia, pœna.

Eundem in modum excipiendæ sunt te
tationes solicitantes ad iracundiam, ig
vum, otium, ambitionē, comessationes, &

5. *Quomodo nos gerere debeamus in p
nere, quando diabolus exaggerat pecca*
Debemus opponere generale remediu
quod est misericordia Dei, & resipiscētia,
jus octo sunt fructus, hoc ordine. 1. dolor
peccatum admissum, & Deum offensum
confessio peccati coram Deo, cum depre
trione culpæ. 3. indignatio contra se. 4 tim
offensionis Dei in posterum. 5. studium
ne agendi. 6. desiderium plenæ renovatio
à peccato. 7. zelus in diligendo Deum,
amplectendo præcepta ejus. 8. vindicta
ultio, qua caro domatur, ne in posterum
lis offensa fiat.

6. *Quomodo nos gerere debeamus, qu
do diabolus in specie hac vel illa peccati,
g. peccatum contra conscientiam, blasp
miam in Spiritum sanctum, &c. nobiu
cit?* Debemus accurate discernere inter p
cata reproborum propria, & illa quæ etia
in electos cadere solent.

7. *An sanctificatio sit perfecta in hac
ta?* N. Est enim sanctificatio (quæ alijs di
tur regeneratio, stricte accepto hoc voca
lo) alia inchoata, *Iohan.* 3. 3. alia consum
ta, *Matth.* 19. 28. Illa hujus est vitæ; hæc,
turæ. Hinc intelligitur, cur apostolus *Rom*
30. pr

30. præteriti temporis verbo vtatur : Quos justificavit, eos etiam *glorificavit*, Nam glorificatio in hac vita inchoatur, in altera perficitur; quemadmodum etiam Thomas Aquinas hoc verbum explanat, cum ait, quod Deus *dupliciter* nos glorificet, *uno quidem modo per profectum virtutis & gratiæ, alio autem modo per exaltationem gloriæ.*

8 *Vnde possimus colligere nos esse sanctificatos?* Ex partibus sanctificationis: ut sunt mortificatio veteris, & vivificatio novi hominis. *Rom.*6.11. & 7.4. Mortificationi spirituali conjuncta est spiritualis sepultura, quæ est continuus mortificationis progressus *Rom.*6.4. *Coloss.*2.12.

9. *An sanctificatio sit totius hominis?* Affirmo. Est enim tum animæ, tum corporis. 1. *Thess.* 5.23. 1. *Cor.* 6.20. Sanctificatio animæ est in illuminatione mentis *Coloss.* 3.10. & respiscentia voluntatis *Act.* 11.18. Sanctificatio corporis est, per quam illud redditur obediens spiritui, ut nihil exequatur nisi cum voluntate Dei consentiat. *Rom.*12. 1. Est itaque frenatio affectuum, & rectio locomotivæ.

Cap. XXXVI.

De tolerantiâ crucis.

1. *Qualis sit tentatio hoc in loco?* Generalis & specialis. Tentatores enim conantur

nantur *in genere* persuadere, crucem esse argumentum iræ Dei, & rejectionis illorum quibus imponitur. In specie *Satan* suggerit crucem & calamitates esse pœnas peccati, prodromos secuturæ æternæ damnationis. *caro*, crucis impatiens, eam fugit, & impatientiæ œstro percita, imaginatur sibi Dei iram & derelictionem, ac subinde adversus Deum murmurat: denique *mundus* perversum suum & iniquum adhibet judicium pronuntians malis semper male esse, bonis verò bene, ideoque afflictos esse omnium infelicissimos, & pessimos peccatores; tranquille vero & secure viventes, esse felices, Deo gratos. *In specie* hic est tentatio exilii, paupertatis, famis, &c.

2. *Quomodo profligetur tentatio crucis & calamitatum in genere*? Sancta meditatione & patientia. Sancta meditatio est horum præcipue capitum. 1. nos affligi, non casu, sed consilio Dei. 2. idque nostro bono. 3. exemplo Christi. 4. Deo daturo lætum exitum. Patientia impetratur precibus, & formatur ipsa praxi.

3. *Quot sint genera calamitatum huius vitæ*? Duo. Nam aliæ calamitates & tentationes sunt communes omnibus hominibus: aliæ Christianorum sunt propriæ.

4. *Quinam sint fontes consiliorum & consolationum adversus calamitates omnibus homi-*

hominibus communes? Isti tres 1. consideratio providentiæ Dei immittentis. 2. recordatio peccati promerentis. 3. ruminatio utilitatis emergentis, quæ quidem non est una. Nam Deus per calamitates. 1. frænat nostram superbiam. 2. ponit nobis ob oculos nostram infirmitatem. 3. revocat nobis in memoriam peccata nostra. 4. edomat fiduciam, quam in nobis ipsis collocamus. 5. excitat nos ex somno peccati. 6. probat fidem nostram. 7. accendit fervorem precum. 8. exercet nostram patientiam. 9. demonstrat auxilium suum in calamitatibus præsentissimum.

5. *Quid interest inter calamitates omnibus hominibus communes, & filiorum Dei proprias?* Illæ imponuntur hominibus, quâ peccatoribus: hæ Christianis, quâ Christianis, adeoque in causa Dei. Illæ sunt materia patientiæ: hæ insuper gloriæ. Illæ sunt castigationes: hæ, vexilla. Vnde fit, ut calamitates filiorum Dei propriæ insigniantur magnifico crucis Christi titulo.

6. *Quinam sint fontes consiliorum & cõsolationum adversus calamitates filiorum Dei proprias?* Isti quatuor. 1. meditatio causarum, propter quas Deus vult ecclesiam suam esse subjectam cruci. 2. consideratio fructuum. 3. ruminatio personarum compatientium & affligentium. 4. consideratio

modi evadendi. *De primo.* Tres inprim
sunt causæ, propter quas ecclesia subjecta
cruci. 1. natura Dei; ejus nempe sapientiæ
justitia. Illa facit, ut qui volunt una cum
Christo coronari, cum eodem certent: hæc
ut eadem via perveniamus ad gloriam, q
Christus pervenit ad illam. 2. natura mun
& diaboli. Nam pij sunt peregrini in mu
do; & diabolus est illorum hostis profes
Nihil itaque mirum, quod hæc sors ip
manet. 3. natura ecclesiæ in his terris: quæ
cile luxuriat & degenerat tempore felici
tis. *De secundo.* Fructus præcipue sunt tr
1. calamitates filiorum Dei purgant & lib
rant ecclesiam ab hypocritis. 2. filii Dei in
ratione continentur in officio timoris fil
lis, patientiæ, precum, &c. 3. alii hoc mod
ædificantur, atque ita ecclesia sumit incr
mentum. *De tertio.* Hic oportet meditari
exemplum Christi, cui nos oportet fieri co
formes. 2. exemplum prophetarum, apost
lorum, & martyrum. 3. imbecillitatem h
stium ecclesiæ, quatenus illi cum Deo v
niunt in comparationem. 4. magnitudin
præmii, quod manet omnes legitime cert
tes. *De quarto.* Quinque ista consilia sequ
mur, si velimus vincere in hac palæstra. 1. h
giamus peccata. Nam tribulationes nu
quam vincent eum, quem peccata expug
re non potuerunt. 2. nihili faciamus, vel po

tius contemnamus contemtum huius mundi. 3. ob oculos nobis ponamus miseriam illorum, qui ecclesiam persequuntur. 4. sine intermissione oremus. 5. speremus in Domino, & expectemus salutem eius.

7. *An omnia calamitatum & tentationũ genera, cũ quibus conflictari solet homo, recte dividantur in publicas & privatas?* Ita est. Nam *publica tentationes* sunt, quæ ob publicum statum mundi, & reipubl. vel ecclesiæ regimen, aut nobis in publica aliqua functione versantibus oboriuntur. *Privata* vero *tentationes*, si duos illos intueamur, qui in Scriptura nobis proponuntur singulariter tentati, in vetere inquam Testamento Iobum, in novo Christum; in tres recte subdividi possunt gradus, vel species: puta *tentationes circa bona externa*, sive ea quæ extra nos sunt: *circa corpus nostrum*: & *circa animum nostrum*, tanquam arcem, contra quã ignita sua tela vibrare & eiaculari solet Satan. In prima classe est iactura bonorum & liberorum: in secunda, morbi, dolores & cruciatus corporis: in tertia sunt duo genera telorum ignitorum diaboli. Nam malignus ille alios ad diffidentiam, pusillanimitatem, & desperationem impellere conatur: alios ad securitatem, temeritatem, & omnem numinis iudiciorumque Dei contemtum instigat.

8. *Quomodo profligãda sit tentatio: quan-*

do nos ad functionem aliquam minus idoneos, sive impares esse putamus? Hoc tentationis genus exercuit Mosen *Exod.* 4. Ex illius itaque historia discamus, quomodo nos hic gerere debeamus. Moses à Deo erigitur: ipsi adjungitur collega Aaron: denique viri aliquot graves & selecti adiscuntur, qui res minoris momenti tractent. Itaque & nos, si legitime vocemur, pareamus Deo vocanti, ejusque providentia nos armemus. Deinde ne temeritate aliqua omnia in nos suscipiamus, aut media & adminicula aspernemur, ut nonnulli soli omnia agere, soli rebus praesse potius, quam prodesse ambiunt. Confer *Ios.* 1. ubi Josua statim ab initio vocationis suæ armatur providentia Dei: cum hac cautum admonitione, ne inconsiderate & temere, sed prudenter omnia agat. Doctrina enim de providentia Dei recte intellecta non reddit homines insulsos, temerarios, effrenes: sed humiles, prudentes, circumspicientes, quid vocatio ferat & requirat, & à Dei nutu & gratia totos pendentes.

9. *Quomodo profligari possit tentatio: quando in functionibus publicis, in principio praesertim, successus expectatus non cernitur: imo potius omnia contraria & infesta se offerunt*? Hanc tentationem sensit populus Dei, eum ex Ægypto exiret: itemque David, non semel. Hic vero debemus nos erigere consi-

deratione

deratione providentiæ Dei, bonitate causæ, & legitima nostra vocatione. Nam Deus ambulantes in sua vocatione, & ab ejus providentia pendentes, mirabiliter custodit, & ex omnibus difficultatibus eruit, licet ad tempus quasi aversus ab eis videatur. Confer 2. *Sam.* 15. *Psal.* 18. & 118. *Act.* 21. Quare ne dicamus, ut multi, qui hujusmodi cogitationibus se excruciant: Si hoc, vel illud non feciſſem: ſi illud vitæ genus non eſſem ſecutus, puta vel matrimonii, vel miniſterii eccleſiaſtici: aut, ſi in hoc, vel illud iter me non dediſſem: id mali mihi non accidiſſet. Quin nos potius dicamus cum Ieremia *c.* 10. *Scio Domine, non eſſe penes hominem viam ipſius. nec penes hominem dirigere greſſum ſuum.* Et interim credamus, Dominum nos oculo ſuo dirigere, ut dicitur *Pſ.* 32.

10. *Quomodo nos ſolari debeamus, quando patimur iacturam bonorum huius ſeculi?* Ex recordatione providentiæ Dei, omnia pro arbitrio temperantis, iam donantis nobis bona illa externa, iam eripientis, nos totos ei ſubiiciamus, & cum Iobo dicamus: *Dominus dedit*, &c. Nam quid iniuriæ nobis fit, ſi, quod commodato datum eſt, recipitur? Deinde ſæpenumero bona iſta nobis eripiuntur, ne fiant nobis ſpinæ, à quibus, aſpirantes ad meliora & altiora, in hanc humum retrahamur. Et ſic ſuis aliquid Deus eripit,

ut longe meliora reddat. Vide plura paulo post *quæst.* 12.

11. *Quomodo nos erigere debeamus circa mortem liberorum?* Deus nostros liberos ad se recipit, ut longe meliori sint conditione, quam in hac caduca vita. An, quæso, cruciamur, cum filii absunt, & in aulis regum in dignitate versantur? Cur ergo lugemus, quando in Dei, regis regum, sanctuarium adsciscuntur? At non revertuntur inde ad nos. Quid tum? dum eis bene est: & cum certo scias te brevi ad ipsos venturum esse. Porro Deus illos sæpe nobis eripit, summo eorum bono, ne malitia huius seculi corrumpantur: & nostro bono, ne nobis sint dolori, aut dedecori, ut filii Eli 1. *Sam.* 13.

12. *Si nobis negotium sit cum hominibus, qui nimium contristantur ob iacturam bonorum externorum, quomodo sint nobis tractandi?* Ista summatim sunt adferenda in medium. 1. Non vult Scriptura nos ex illis bonis Dei favorem paternumque amorem æstimare: neque ex Mammona iniquitatis, & divitiis, quarum cupidine multi, tanquam laqueis diaboli implicantur, Dei filios ab reliquis dignosci. Dat itaque Deus suis panem quotidianum: sed dat, tanquam viatoribus; dat, non ut sint illa dona impedimenta in via, sed adiumenta. 2. Si quando Deus nobis eripit ista dona, id facit, ne eorum nos

satietas & fastidium capiat, Deique obliviscamur. 3. Subducit illa, non ut ejus providentiæ diffidamus, verum, ut potius agnoscamus, non solo pane, & magno commeatu sustentari homines in terris: sed varia habere Deum media nostræ necessitati sublevandæ idonea. 4. Deus non vult nos illis externis ita esse addictos, ut cælum nostrum in his terris collo cemus. 5. Idem non vult nos de his leuibus & fugacibus angi. 6. Si desunt opes, demus operam pietati, & hoc agamus, ut animus sit sua sorte contentus; qui quæstus est longe uberrimus.

13 *Quomodo nos gerere debeamus in morbis, doloribus, & cruciatibus corporis?* 1. Sequamur consilium Iacobi. *cap.* 5. & Deum oremus. 2. Si maxime sit moriendum, cogitemus, illud ipsum omnibus hominibus à Deo statutum, *semel mori. Hebr.* 9. Numerus namque mensium hominis penes Deum est: determinavit terminum, quem nemo transgredi potest. 3. Cogitemus, ut sunt verba Basilij epist. 124. morbum nobis à Deo immissum, esse pædagogiam ad id, quod utile est: ut tu contemto corpore, & rebus corporeis ac fluxis, totus ad consortium cœlestium transeas, & pro præsenti seculo, vivas futuro. 4. Optemus cum Davide, *Psal.* 41. ut Dominus sanet animam nostram. 5. Probemus Deo patientiam, & dicamus cum

Davide

Davide *Psal.* 39. Obmutescam, nec aperiam os meum: nam tu fecisti. 6. Medicamenta non aspernemur. Sed nec illis nitamur. Vtamur potius ijs, postquam ea sanctificavimus per preces. 7. Ad hariolos ne confugiamus. 8. Humiliemur sub potenti manu Dei; & credamus, eum corripere eos quos diligit: ejusque varias habere causas, vel ut superbiam in nobis domet; vel ut in nostra infirmitate energiam fidei nostræ, & robur gratiæ suæ exprimat; vel ut in hoc mundo feramus crucem Christi, & simus ejus socij atque participes; denique, ut, cum castigamur, à Domino erudiamur, ne cum mundo damnemur.

14. *Quomodo in calamitatibus illis, quas bellum nobis adfert, nos consolari debeamus.* Ista ad animum revocemus. 1. Deum esse Iehovam exercituum, qui ob peccata, nostro bono, his calamitatibus nos castiget atque probet. 2. In confusionibus hisce imperiorum, & mundi senescentis ruinis, Deum semper prospicere ecclesiæ: quatenus vel cohibet angelos administros vindictæ suæ, donec tota electorum universitas sit signata *Ezech.* 9. *Apoc.* 7. vel martyres pios, lotos & dealbatos, id est, justificatos, sanguine Agni, per hujusmodi afflictiones perducit ad thronum Agni *Apocal.* 7. vel denique ecclesiæ fugienti in solitudinem, paret ibi locum, &

pro

pro ipsa præliari facit Michaelem atque angelos ejus, *Apoc.* 12.

5. *Quid nos inprimis consolari debeat adversus diuturnitatem crucis?* Consideratio æternitatis. Etsi enim diu duret passio hujus temporis: tamen non est æterna. At gloria, quæ in nobis retegetur, erit æterna. **Lang ist nicht ewig / aber ewig ist lang.** Deinde passio damnatorum in inferno erit æterna. Hic itaque magnum fuerit operæ pretium, probè sibi imaginari, quid sit æternitas. Quam ad rem conducunt duo ista. 1. mathematica definitio æternitatis, quod sit complexus seculorum, innumerabiles cuborum milliones complexorum. 2. similitudo pervagata de omnibus montibus in unum conflatis, è quo avicula millesimo quoque anno particulam terræ auferat; vel de omnibus aqvis in unum mare collectis, è qvo avicula millesimo quoque anno guttulam ebibat.

16. *Quomodo Christus dicat, iugum suum esse leve, cum eius crux tam sit onerosa, quam quæ maximè?* Iugum Christi est partim lex evangelica, partim crux ipsius. Hoc jugum est leve & svave, si amor adsit. Hic enim omnia facit levia. Iam vero quod est aliud Christi jugum, quam charitatis?

17. *An tolerantia crucis sit nota characterisfica filiorum Dei?* A. Neque enim tole-

rantia

rantia ista est vel patientia philosophica, vel ἀπαθεία Stoica, vel calamitatis & adversitatis perpessio: sed est crucis Christi portatio, qua fit, ut aliquis Christo cupiat conformis fieri in passione, ut fiat ipsi conformis in gloria.

18. *An electi Dei filij omnes & semper sint sub cruce?* N. Etsi enim omnes aliquam saltem experiuntur passionem, sive internam, sive externam, sive vtramq; tamen interdum sua habent intervalla & velut inducias.

APPENDICVLA HVIVS LOCI.

De Peste.

1. *Quanam sint præcipua consolationis adversus pestem?* Tres. 1. Considerantio causarum efficientium & finalium. *Inter efficientes* sunt 1. causa princeps: ut est Deus, dominus vitæ & mortis *Exod.* 5. 3. & 9. 15. 2 *Sam.* 24. 15 *Ier.* 14. 12. & 21. 6. & 24. 10. & 27. 8 & 29. 17. *Psal.* 78. 50. 2. causæ impellentes. Movetur nempe & impellitur Deus peccatis atque sceleribus hominum: ut inobedientia Pharaonis, *Exod* 9. incredulitate Israelitorum, *Num.* 14. 11. contemtu verbi sui, *Lev.* 26, 25. *Deut.* 28. 21. *Ier.* 27. 8. & 29. 18. *Apoc.* 6. 9 superbia Davidis, 2. *Sam.* 24. 1. *Paral.* 21. idololatria, & aliis peccatis populi Iudaici, *Ier.* 15. & 21. *Ezech.* 5. 11. & 6. 13. & 14. 2. &

2.& 33.25.abusu cœnæ Domini.1. *Cor.*11.30 3.causæ instrumentales: ut sunt angeli, tum boni,2.*Sam.*24.16.*Apoc.*16.1.tum mali,*Iob.* 2.7.*Ps.*78.50.& 91. item infectio aëris,influxus siderum, &c. Hinc existunt duo genera pestis:unum hyperphysicum,alterum physicum. Hyperphysicum pestis genus Deus per angelos administrat: physicum, per causas physicas. Porro physicum istud pestis genus est ἐπιδήμιον, *universale*, vel ἐνδήμιον seu ἐπιχώριον, *particulare*. Hæc vero licet ita se habeãt:tamen Dei nutu & providentia reguntur & gubernantur. Nam Deus, ut autor,sic & dominus est naturæ universæ, ejusq; vim, quoties videtur, vel restringit atque cohibet, vel incitat atque acuit. Ita vero utrumque genus pestis administrat Deus,ut nemo hominem fortuito & sine voluntate ejus corripiatur,aut extinguatur. Nam tempus determinavit cuilibet homini super terram, *Iob.* 7.1. & definivit dies & numerum mensium ejus,& terminos posuit, quos non præteribit, *Job.*14.5. etiam gressus hominis numeravit, *Iob.*14.16.& capillos capitis nostri, *Mat.*10.30 Sic *Exod.*7.8.& 9.populum suum à decem plagis,atq; adeo à peste Ægyptiorum servat:*Ezech.*9.4.*Apoc.*7.3.servandos signat, signatisq; parcit; *Ps* 91.inter mille pestes præstat illos tutos, quos in tutelam & custodiam suam suscepit. Seqvuntur *causæ finales.*

finales. Oportet enim etiam considerare, in quem finem genus humanum hac lue affligat Deus: in quo est discrimẽ piorum & impiorum. Etenim pios affligit, vel ut castiget, atq; emendet illos hoc flagello, & ad pœnitentiam revocet, ne cum mundo damnẽtur, 1. *Cor.* 11. 32. vel ut probet atq; exerceat tum fidem eorum erga Deum, tum charitatem erga proximum. Illius exemplum est in Davide, 2. *Sam.* 24. hujus in Ezechia, 2. *Reg.* 20. & in Iobo, c. 2. Impios affligit, ut ad pœnitẽtiam vocet; vel, si desperata sit impietas, ut perdat atq; destruat cum hic, tũ in futuro sæculo. II. Consideratio naturæ pestis. Nam inter flagella Dei, *Ezech.* 14. 21. pestis est omnium mitissima, 2. *Sam.* 24. III. Consideratio præsidii tũ Dei, tũ sanctorum angelorum, *Ps.* 91.

2. *Quanam sint tutissima prophylactica, sive præservativa, adversus pestem?* Ista quatuor. 1. pœnitentia vera. 2. precatio indefessa conjuncta cum sobrietate. 3. meditatio verbi Dei, publica & privata. 4. diligentia in vocatione.

3. *Quanam sint tutissima curativa pestis remedia?* Ea sunt communia, vel specialia. *Communia* omnibus & singulis hominibus conveniunt; suntque theologica, vel physica. *Theologica* sunt, fiducia in Deo propter Christum, pœnitentia, & preces *Exod.* 15. 26. 2. *Sam.* 24. 17. & 25. 2. *Paral.* 7. 13. 2. *Reg.* 20. 3. *Psal.*

Psal. 91.2 & 14 *Luc.* 21.36. Remedia *physica* sunt, quæ à medicis præscribuntur; uti est illud Ezechiæ 2. *Reg.* 20.7. Sed cavendum, ne mediis & medicis plus q̃ Deo fidamus, sicut Asa fecit 2. *Paral.* 16.12. Nam q̃ medicina est efficax & prodest, Dei opus est, ut Siracides monet *cap.* 38 Remedium *speciale* est, q̃ non omnibus convenit, neq; adhiberi potest: cujusmodi est fuga, id est, secessio ex eo loco quem pestis invadit. Nam qui sine ecclesiæ & reip. incommodis, & salva charitate proximi abesse possũt, eis fugæ remedium concessum est. Quos v. aut publici muneris, sive ecclesiastici, sive politici, aut Christianæ charitatis ratio jubet manere, eis hoc fugæ remedi ũ minime convenit. Nunquam n. aut vocatio nostra deserenda, aut charitas proximi violanda, *Ioh.* 10.11. *Rom.* 13.4. *Mat.* 25.42.1. *Ioh.* 3.17. His autem remediis qui utuntur, ij eventum Deo commendent, qui est dominus vitæ & mortis; & vtramque sortem patienter expectent *Esa.* 30.15 *Mich. ult.* 9.

4. *An etiam filij Dei corripiantur peste?* A. Vide paulo ante *quæst.* 1.

5. *An pestis sit morbus contagiosus?* Ita est: verum ita, ut contagio ista sit veluti sagitta, quæ à Deo dirigitur.

6. *An fuga pestis ad hoc prosit, ut aliquis effugiat mortem?* N. Nemo siquidem potest vitam suam prolongare, vel decurtare.

7. *An*

7. *An tempore pestis suspendere licet omnes conventus?* N. Nam neque conciones omittendæ sunt; neque conventus politici & privati, qui necessarii sunt, suspendendi.

8. *An pastorum sit visitare infectos peste?* A. si sit magna necessitas.

CAP. XXXVII.

De bonis operibus in genere.

1. *QVid nos debeat impellere ad emendationem vitæ, adeoq; ad studium bonorum operum?* Ista decem. 1. mandatum Dei, eiusque plenum ius, quod in nos habet. 2. natura Dei, qui est sanctus, omnipotens, omniscius, omnipræsens, Pater noster opt. max. 3. natura Christi. Cum enim ille sit Immanuel, id est, Deus nobiscum, tum quâ est θεάνθρωπος, tum quâ est nobis præsens in nostris necessitatibus; communio ista flagitat, ut Christo fiamus conformes. 4. scopus electionis, vocationis & justificationis nostri. 5. conditio futuræ glorificationis. 6. utilitas longe maxima. Nam qui resipiscendo emendat vitam suam, is ex stulto fit sapiens, & huius sapientiæ pretium fert ubertimum. 7. connexio triplicis regni cœlorum. *Luc.* 17. 21. Vbi per regnum cœlorum intelligitur partim vita æterna, partim regeneratio nostri, partim denique ministerium eccles-

in verbo & sacramentis. Quæ tria individuo nexu cohærent. Quicunque igitur cupit esse filius Dei in cœlis, fiat prius filius Dei in his terris: hoc est, ab infimo gradu regni cœlorum, per medium, contendat ad supremum. Infimus gradus est in ministerio verbi & sacramentorum, medius in regeneratione, supremus in gloria futuræ vitæ. 8. propinquitas triplicis illius regni. Nam prope est regnum cœlorum; tum quia vita æterna prope est per Dei promissionem, & nostram fidem atque spem; tum quia regeneratio nostri prope est per affectum, profectum, & effectum; tum denique quia ministerium ecclesiæ prope est per vocationem. 9. indignitas rei, si non emendemus vitam nostram. 10. noxa impœnitentiæ longe maxima.

2. *An bona nostra opera sint peccata?* N. Etsi enim non fiunt à nobis absque peccatis: tamen formaliter & intrinsece peccata non sunt. Certe contra naturam est, ut bonum sit formaliter malum.

3. *Quanam sint κριτήρια bonorum operum?* Ea sumuntur ex causis & adiunctis. Causa bonorum operum est. 1. exemplaris; videlicet, lex Dei. 2. efficiens proxima; fides in Christum. 3 finalis; gloria Dei. *Rom.* 14. 23. *Hebr.* 11, 6. *Iacob.* 2, 22. *Psal.* 116, 10. *Adiun-*

ctа

cta bonorum operum sunt alia si Deum spectes; alia, si homines. Si Deum spectes, sunt timor Dei filialis, & subjectio erga Deum. Si homines intueare, adjuncta bonorum operum sunt respectu nostri, vel proximi. Ibi sunt amor legis Dei, hilaritas, bona cōscientia, sinceritas, constantia, & prudentia: hic sunt zelus pro gloria Dei, & cura vitandi scandala.

4. *An bona opera sint iustitia, vel pars iustitia coram Deo?* Non sunt. *Esa.* 64. 6. *Rom.* 3. 28. *Eph.* 2. *v.* 8. 9. *Luc.* 17. 10. Etenim bona nostra opera sunt justitia nobis inhærens, seu ipsius partes integrantes: tamen coram Deo non sunt justitia illa, per & propter quam iusti censemur.

5. *Si bona nostra opera non habent rationem meriti coram Deo, quid causa est quod merces vitæ æternæ promittitur sub conditione operum?* Tria promissionum genera in Scripturis occurrunt. 1. promissio fœderis operum, in qua promittitur vita æterna sub conditione operum ex naturæ viribus proficiscentium. 2. promissio fœderis gratuiti quæ fit sub conditione fidei. 3. promissio subserviens fœderi gratuito, quæ fit sub conditione operum gratiæ & regenerationis. Ultima ista promissio est partim euangelica, partim legalis. Nam opera ista gratiæ & regenerationis ratione sui principii sunt euāgelica

Qu

quia tamen eorum ipsorum operum norma est lex moralis, ideo legalia etiam opera vocari possunt. Promittitur autem istis operibus gratiæ merces gratuita, seu Evangelica: non vero legalis. Nam ipsorum perfectio est Evangelica. Quod sic est accipiendum. Opera renatorum sunt illa quidem perfectissima: verum non in sese, sed in Christo, & in perfectione satisfactionis ac meriti ipsius. Itaq; hæc perfectio est Evangelica. Nam lex præcipit & requirit operum perfectionem eam, quæ sit in ipsis operibus.

6 *Qua sit certissima & expeditissima via perveniendi ad studium bonorum operum?* Si meditemur naturam Dei & Angelorum; & Christum nobis proponamus imitandum; & denique naturam & effecta bonorum & malorum operum conferamus.

CAP. XXXVIII.

De bonis operibus primi præcepti.

1. *QVid sit nosse Deum?* Illum statuere unum in essentia, & trinum in personis, creatorem & gubernatorem mundi, redemtorem & sanctificatorem populi sui.

2. *Quomodo possimus pervenire ad veram Dei notitiam?* Si diligenter evolva-

mus librum naturæ & Scripturæ; idque animo humili, fusis precibus ardentissimis & frequentissimis.

3. *Quid sit confidere Deo?* Ipsi tribuere laudem veritatis, potentiæ & benevolentiæ erga nos; & ideo in ipso acquiescere, etsi omnibus rebus destituamur.

4. *Quomodo possimus adduci ad fiduciam erga Deum?* Si consideremus Dei naturam, Christi merita, & præterita Dei beneficia; & calamitates habeamus pro schedulis; denique Deum oremus, ut naturæ nostræ diffidentiæ medeatur.

5. *Quid sit adoratio cordis?* Est reverentia erga Deum, quâ quis illum propter summam ejus majestatem, suamque ipsius ignitatem, cum summâ animi demissione veretur, omniaque ejus opera, tanquam sancta & justa, approbat.

6. *Quis sit modus perveniendi ad hanc cordis adorationem?* Si probè cogitemus Dei majestatem, operumque ejus excellentiam, & nostram tenuitatem.

7. *Quid sit Deum amare?* Ipsum illum habere pro summo bono, & proinde supra omnia amare, ita ut omnia ipsius mandata cum quadam lætitia faciamus.

8. *Qua sit via perveniendi ad veram Dei amorem?* Si abjiciamus inordinatum

amorem nostri & creaturarum, & Deum habeamus pro summo amabili.

9. *Quid sit humilitas coram Deo?* Est internus cultus Dei, cum nostram indignitatem coram Deo agnoscentes, omnem fiduciam virium nostrarum abjicimus, & agnoscimus, quòd omnia bona, quæ in nobis sunt, & per nos fiunt, non ex dignitate aut facultate aliqua nostra, sed ex gratuita Dei bonitate existant.

10. *Quomodo possimus pervenire ad istam humilitatem?* Si agnoscamus nos naturâ nostra ex nobis nihil boni habere, & esse nudos & mendicos coram Deo: deinde, si Dei majestatem accuratè meditemur.

11. *Quid sit patientia vera & Christiana?* Est internus Dei cultus, cùm Deo nos subjicimus ad placidè ferendum crucem ab ipso nobis impositam.

12. *Quonam modo pervenire possimus ad istam patientiam?* Si cogitemus, Deum esse patrem nostrum sapientem, misericordem & justum; & meminerimus peccatorum nostrorum; denique nobis ob oculos ponamus infinitas crucis utilitates.

13. *Quid sit spes in Deum?* Est cultus Dei internus, quo futura Dei beneficia indubitatò expectamus, præsertim vero vitam æternam gratis dandam propter Christum; & mitigationem præsentis crucis, vel liberationem

rationem ab illa juxta consilium Dei. Ha
itaque spes est fidei alimentum & robur, si
ut fides est spei fundamentum. Nam fides
repræsentat Dei beneficia in spe posita, & v
luci oculis subjicit : sed spes expectat futu
ra.

14. *Quomodo ad exercitium spei perve
nire possimus* ? Si cogitemus promissione
Dei gratuitas, gratiam Dei in Christo, &
Christi meritum.

15. *Quid sit timor Dei* ? Est affectus f
lialis, quo timemus, ne offendamus Deum
clementissimum illum Patrem nostrum.

16. *Quomodo pervenire possimus ad D
timorem* ? Si statuamus summum esse m
lum, si Deum, summum illud bonum, offe
damus.

17. *Quid sit obedientia erga Deum* ? E
cultus Dei internus, quo nihil nobis
prius aut antiquius, quam servare om
Dei mandata.

18. *Quomodo consequi hoc possimus, u
Deo obediamus* ? Per preces, & imitationem
Christi.

19. *Quid sit perseverantia Christiana*
Permanere in vera Dei agnitione, vero
ipsius cultu, usque ad extremum vitæ spi
tum.

20. *Quid sit invocatio Dei* ? Est elev
tio mentis ad Deum, tanquam omnium b
nor

norum fontem, à quo petimus ea, quæ faciunt ad ipsius gloriam, & nostram atque aliorum salutem.

21. *Qua sit via ad precationis crebrum exercitium perveniendi?* Si Dei majestatem & nostram indignitatem subinde ob oculos nobis ponamus, ut & multiplicem hujus vitæ miseriam; deinde oremus Deum, ut nobis largiatur Spiritum precum; denique libenter & assiduè legamus preces piorum, inprimis Psalmos Davidis, & ipsam quoque praxin addamus ingemiscendo ad Deum, atque importunitate sancta, quam vocant, apud ipsum instando.

22. *Quid sit gratiarum actio ad Deum?* Est cultus Dei internus, cum pro bonis datis vel promissis, debitam Deo laudem reddimus. Partes ejus duæ sunt: approbatio operum Dei, & celebratio Dei.

23. *Qua sit via pertingendi ad debitam hanc gratiarum actionem?* Si consideremus beneficia Dei in genere & in specie; & libenter versemur cum iis qui sunt præcones laudum Dei; & denique à Deo hanc gratiam oremus, ut dignis modis beneficia ejus expendamus.

24. *Quid sit zelus pro gloria Dei?* Est vehemens animi studium tuendi & propagandi gloriam Dei, & vehemens dolor atque indignatio adversus ea, quæ contra Dei majestatem

ſtatem fiunt, cum conatu, ſuo loco illa prohibendi.

25. *Qua ſit via perveniendi ad iſtum zelum?* Si voluntatem Dei ſolidè cognoſcimus, ejus majeſtatem admiremur, & petamus ſpiritum fervoris.

CAP. XXXIX.

De bonis operibus ſecundi præcepti.

1. AN *ſolus cultus Dei externus hic prescribatur?* Ipſius regula hîc proponitur, verum ita ut præſupponatur cultus internus. Oportet enim Deum externè ita colere, ut hoc fiat in ſpiritu & veritate. Etſi ego diſtincte hîc præcipitur cultus Dei externus, non tamen ſeparatim.

2. *An ſit idololatra, qui aggreditur Deum colere perverſo & illicito ritu?* Is eſt. Etſi enim verum Deum habet proobjecto cultus ſui: tamen illum non colit debito modo.

3. *Quomodo hic præcipiatur religio?* Quatenus illa eſt ceremoniarum & rituum Deo præſcriptorum obſervatio, fidei, ſpei & charitati ancillans. Nimirum religio vera eſt partim interna, partim externa.

4. *Quis ſit rectus ceremoniarum*

Deo præscriptarum usus? Si referantur ad excitandum atque exercendum cultum Dei interiorem. Nam hoc fine neglecto, opus operatum Deo placere non potest.

5. *An omnes ceremoniæ religiosæ à Deo in verbo eius sint præscriptæ?* Quantum ad fundamentum & substantiam attinet, affirmatur. A se enim, ut unico religionis Doctore, vult Deus eum peti modum & ea media, quibus externe colendus est. Oportet itaque ut omnes ceremoniæ sint verbo Dei consentaneæ.

6. *Quisnam sit licitus imaginum usus?* Politicus & Historicus. Ad illum pertinet usus œconomicus; ad hunc mnemonicus. Nimirum Deus permittit picturam & sculpturam imaginum ad ornatum domesticum vel politicum, & ad memoriæ subsidium.

7. *An pro levi sit ducendus neglectus secundi præcepti?* N. Gravissima enim sanctio huic præcepto addita docet, quantum in sanctâ hujus præcepti observatione sit situm.

Cap. XL.

De bonis operibus tertii præcepti.

De sancto nominis DEI usu.

1. *Quid sit sanctè uti nomine Dei?* Dei & omnia quæ de Deo recte dici possunt ratione essentiæ, proprietatum, personarum, & operum, in sermone, & scriptis religiose usurpare, ideoq; colere, vel tanquam Deum, vel τὰ τοῦ Θεοῦ.

2. *Quis sit modus perveniendi ad sanctificationem nominis Dei?* Diligenter considerare majestatem Dei, & ardenter ingeminare illud, *Sanctificetur nomen tuum.*

3. *Quomodo rectè sanctificentur creaturæ?* Si per verbum Dei & preces separentur ad sanctum usum: 1. *Tim.* 4. 4. Hoc modo sanctificantur cibi, conjugium, & opera vocationis.

4. *Quânam in re consistat rectus S. Scripturæ usus?* In explicatione sensus legitimi & sensus ita explicati applicatione ad doctrinam veri, refutationem falsi, institutionem in bono, correctionem mali, & consolationem infirmi.

5. *Quisnam sit sortium politicarum legitimus usus?* Si non temerè, sed reverenter

& cum

& cum persuasione de providentia Dei adhibeantur, ad componendas lites, & cavendas seditiones in dividundis patrimoniis & facultatibus, itemque idoneis personis ad certa officia eligendis.

De juramento.

1. *Quid & quotuplex sit juramentum?* Principiò juramentum est invocatio Dei, qua ipsum sine dolo, præmeditate, in testem eorum quæ dicimus aut promittimus, tanquam unicum cordium scrutatorem appellamus, ut illi, quibus juramus, propter interjectum Dei nomen, de veritate nostrorum verborum ne dubitent. Deinde juramentum est 1. simplex, vel compositum. Illud est sine imprecatione: hoc secus. 2. assertorium, vel promissorium. Illo confirmatur res præterita aut præsens: hoc promittitur aliquid futurum. 3. delatum, vel spontaneum. Illud à judice vel parte adversaria defertur: hoc fit cogente vocatione, ut vel nostram vel aliorum famam & vitam tueamur.

2. *An Christianis sit licitum jurare?* Omnino. Nam juramentum est pars legis moralis; utpote religiosa Dei invocatio ad confirmandam veritatem.

3. *Quanam sint conditiones legitimi juramenti?* Ut ritè suscipiatur, & hilariter præstetur. Ritè autem suscipitur, cùm quis

jurat per Deum; in rebus veris, certò cognitis, licitis, possibilibus, necessariis, utilibus, & gravibus; hoc fine, ut veritas confirmetur. Hilariter præstatur, cùm conscientia ex verbo Dei informata dictat legitime conceptum esse. Tum enim præstandum est, etiamsi difficile sit & damnosum.

4. *An coacta iuramenta sint servanda?* Omnino, si res jurata sit licita.

5. *Quando iuramentum promissorium sit validum?* Quando id, quod juramento promittitur, sine peccato servari potest. Nemo enim obligatur ad peccatum.

6. *Quanam pugnent cum iurisiurandi religione?* Ista quinque. 1. recusatio legitimi juramenti. 2. juramentum temerarium. 3. juramentum idololatricum; cùm juratur per sanctos & alias creaturas. 4. perjurium; cum quis sciens & volens per juramentum fallit, sive in testimonio dicendo, sive in profitendo aliquid de se, sive in promissione de sua voluntate. Est igitur duplex perjurium: assertorium & promissorium. 5. juramentum iniquum; cum aliquis jurat se facturum, quod illicitum est.

7. *Quot modis obligatio iuramenti tolli possit?* Primò mutatione materiæ: ut si res jurata sit impossibilis juranti, aut illi-

cita.

cita. Secundò, condonatione; ut si is, in cujus favorem factum est, remittat obligationem. Tertiò, commutatione; ut si ille, cui factum est, concedat aliud opus loco illius, quod juramento promissum est, præstari. Quartò irritatione; ut quando materia juramenti promissorii subest alterius potestati. Quartò, dispensatione; ut quando superior dispensat tecum, ut non tenearis alteri præstare, quod cum juramento illi promisisti. Hoc tamen non potest facere superior, nisi legitima causa subsit; quia non potest jus alterius tollere sine justa causa. Causæ autem justæ sunt hæ. 1. si juramentum sit metu vel fraude extortum. 2. si alia injustitia intercessit: ut cùm usurarius exigit juramentum de solvendis usuris. 3. in pœnam justam. 4. si bonum commune postulet: ut si cum juramento promittas non accusare.

8 *Quomodo superior possit dispensare in juramento?* Superior, ut princeps, judex &c. non potest immediatè tollere obligationem juramenti semel inductam. Hoc enim nihil aliud esset, quam dispensare cum aliquo, ut postquam juramento aliquid confirmavit, possit esse perjurus; & Deum facere testem falsi. Potest tamen, non solum superior, sed etiam alius,

aliquid ponere vel tollere, quo posito, vel sublato, sponte cessat obligatio. Pro quo notandum est, in juramento promissorio tacite includi aliquas conditiones, quibus appositis vel subtractis, sponte cessat obligatio juramenti, sine ullo periculo perjurii. Sunt autem hæ, & similes: Promitto & juro me tibi hoc præstiturum, nempe, *si velis, nisi remittas; nisi superior, cui materia subest, contradicat; nisi ipse sua authoritate condonet.* Itaque si aliqua harum conditionum ponatur vel tollatur, ut si remittas mihi, quod promisi, vel si superior contradicat, aut condonet; obligatio juramenti cessat.

9. *Unde oriatur obligatio, qua quis tenetur præstare quod promisit cum iuramento?* A quatuor virtutibus. Nam principiò *veritas* nos obligat ut sincerè, non fictè, promittamus; & opere ipso præstemus, quod promissum est. Deindè virtus *fidei*, seu fidelitatis, obligat nos, ne violemus jus alterius, quod habet ad rem promissam. Tertiò *justitia* obligat nos, ut unicuique tribuamus quod suum est ratione contractus. Quartò virtus *religionis* seu religiositatis, obligat nos, ut Deo reverentiam & cultum debitum exhibeamus. Hoc autem fit per juramentum.

De precatione: ubi de oratione Dominicâ.

1. *An precatio sit necessaria & utilis: cùm Deus ab æterno omnia decreverit, & peccatores non exaudiat?* Decretum Dei non excludit, sed includit media: quæ inter principem locum tenet religiosa precatio. Deinde Deus non exaudit peccatores, qui scientes volentes peccant, & in peccatis perseverant. E contrario exaudit peccatores, qui pœnitentia peccatorum suorum ducti vitam suam in singula momenta emendant.

2. *Cùm Deus interdum nobis petentibus negat, quod nobis non petentibus dat, an precibus instandum sit apud Deum?* Ita est. Hæc enim est Dei voluntas. Quod autem ille vel aliis, vel nobis non petentibus aliquid dat, hoc commendat ipsius misericordiam. Et rursus, quod petentibus aliquid negat, hoc arguit liberrimam ipsius potestatem.

3. *Quid nobis faciendum sit, quando post diuturnam luctam vix à nobis impetrare possumus, ut orationem Dominicam ita ut par est recitemus?* Ingemiscendo & importunitate sancta utendo vincendus est Deus. Deinde quando nimium tumultuatur caro, subsistere oportet in una aliqua petitione, donec Spiritus se recolligat.

4. *An fieri possit, ut inter precandum li-*

beri simus à peregrinis cogitationibus? Quidam pluribus, quidam pauciorib. molestatur cogitationibus, inter precandum. Rursus unus idemque homo nunc magis, nunc minus est fervidus & devotus. Optimum autem remedium hîc fuerit 1. Cogitare majestatem Dei. 2 Meditari passionem Christi. 3. Statuere sibi præsentes esse tum bonos, tum malos Angelos. 4. Lachrymas cordis ciere. 5. Mente sua super omnia mundana veluti volare.

5. *Quomodo excusari queant illa precum formula, quæ diriguntur ad SS. Trinitatem, & terminantur hac clausula, ut Deus illa exaudire velit per & propter Filium suum Jesum Christum?* Opus est hac cautione, ut vel invocetur solus Pater, vel clausula ista aliter informetur.

6. *An liceat preces dirigere ad unam tantùm personam SS. Trinitatis?* Licet: quia ut distincte credimus in Patrem, Filium, & Spiritum sanctum: ita quoq; distincte possumus invocare singulos.

7. *Quomodo sit orandum?* Frequenter, scienter, attente, sancte, humiliter, fidenter, obedienter, & perseveranter.

8. *Quid de circumstantiis in precatione observandis sit statuendum?* Principiò vox in publicis precibus est necessaria; in privatis non item. Deinde *gestus & habitus cor-*

poris

poris pro quantitate & qualitate calamitatis vel affectus potest esse varius. Tertio licet nobis orare quovis *loco* & *tempore*. Inprimis tamen utile est loca publica deligere pro precibus publicis, & secessum quærere pro precibus privatis solitariis. Similiter certa tempora, putà dies & horæ, valde utiliter constituuntur pro precibus solitariis & sociis, publicis & privatis.

9. *An utile sit assuescere certis precum formulis?* Ita est. Nam hoc convenit cum praxi Ecclesiæ, & plurimum habet momenti in variis negotiis.

10. *An oratio Dominica ad solum Patrem sit dirigenda?* Pro re nata vel solum Patrem, vel totam SS. Trinitatem possumus compellare.

11. *Quomodo à nobis sanctificetur nomen Dei?* Si prædicemus majestatem, sapientiam, justitiam, misericordiam &c. Dei: idque tum vera fide, tum bonis operibus.

12. *Quid sit opus factu, si frigidè petamus adventum regni Dei?* Vanitas hujus mundi, & præcellentia regni Dei est attente consideranda, & Deus orandus, ut desiderium vitæ æternæ nobis ingeneret.

13. *Quomodo possimus eò pertingere, ut faciamus voluntatem Dei?* Per abnegatio-

gationem nostri, & imitationem Jesu Christi atque sanctorum Angelorum.

14. *Cur in oratione Dominica nobis proponatur obedientia sanctorum Angelorum, cùm fieri non possit, ut in hac vita voluntas Dei perfectè à nobis impleatur?* Christus nobis proponit regulam; quam certè oportet perfectam esse. Petimus itaque, ut omnes divinæ voluntati obtemperemus, tam sincere, promte, & voluntarie, quam sancti Angeli in cœlo: scil. ipsos magis magisque imitando.

15. *An qui sunt in re lauta, necesse habeant petere panem quotidianum?* Omnino. Nam absque divina benedictione, quæ & ipsa panis quotidiani pars est, nihil nobis prosunt neque labor noster, neque labore parta, vel alio legitimo titulo ad nos devoluta. Itaque si dives es & abundans, attamen velut inops, opum tuarum benignum usum indies exotato, & cogitato plenas cellas, & plenas arcas subito posse evacuari, nisi manu Domini custodiantur. Imo nisi Dominus cibum potumque sua benedictione asperserit, edentes tabescent fame, & bibentes arescent siti. *Ezech.* 4.14.

16. *An nos possimus remittere debitoribus nostris, sicut Deus remittit nobis debita nostra?* Possumus, hoc sensu. Obligamus nos, veluti sponsione aliqua, ad condonandum

proxi-

proximo nostro. Cum enim Deus nobis remittat debita nostra in fœdere suo æterno, ita ut nos sibi obliget stipulatione bonæ conscientiæ ad remittendum fratribus nostris; necessum est, ut si velimus Deum stare sua promissione, nos quoque stemus obligatione nostra; quæ in eo est sita, ut firmiter nobis propositum sit, omnibus qui nos offenderunt, ex animo ignoscere, idque propter Deum.

17. *Quomodo ad hoc pervenire possimus, ut debitoribus nostris ex animo condonemus?* Si cogitemus 1. Deum longe plura & majora debita nobis remittere. 2. condonationem illam qua proximo remittimus debita ipsius, infallibile esse testimonium remissionis peccatorum nostrorum. 3. hostes nostros habeamus pro optimis amicis: utpote virtutis nostræ promotoribus.

18. *Quid à Deo petamus, quando rogamus, ne nos inducat in tentationem?* Petimus ne nos deserat, seu permittat superari, q. d. da gratiam tentationes vincendi; seu, ne nos permittas tentari, ne forte cadamus.

19. *Quanam adversentur precationi?* Ista quinque. 1. Precatio prava, id est, petitio earum rerum à Deo, quæ divinæ voluntati ac legi repugnant; item, quando precatio non est conjuncta cum resipiscentia. 2. Precatio idololatrica; quæ ad deos fictitios, Angelos,

gelos, & sanctos demortuos dirigitur. 3. Omissio precum; cum quis omittit preces, perinde ac si auxilio & benedictione Dei non egeret. 4. Battologia, id est, longarum, multarum, vel inanium precum recitatio, & repetitio, inani labiorum strepitu, sine vero motu cordis. 5. Tædium in orando; cum quis aliarum rerum studio, animo peregrinante, & preces finire cupiente, precatur.

De votis.

1. *An votum pium & religiosum sit cultus Dei?* Votum istud est de rebus vel à Deo præceptis, vel mediis & adiaphoris. Illud est cultus Dei: hoc est adminiculum istius cultus.

2. *An soli Deo votum nuncupari debeat?* Ita est. Nam votum religiosum est pollicitatio solennis Deo facta.

3. *De quibus rebus debeat esse votum?* De rebus legitimis, concessis, sanctis, ac proinde Deo gratis, & quæ in nostra sunt potestate.

4. *Quodnam sit votum universale omnium fidelium?* Est unum, quo omnes fideles æqualiter Deo in servitutem sese addicunt, ut sanctis ejus mandatis obediant, non autem pravis carnis suæ desideriis obsequantur. Id à filiis Dei omnibus exigitur,

gitur, in sacramento initiationis nuncupatur, atque in sacramento nutritionis confirmatur. Itaque in veteri Testamento nuncupatum fuit in circumcisione, confirmatum in comestione agni paschalis. In novo Testamento nuncupatur in baptismo, in sacræ vero cœnæ sumtione confirmatur. Gemina ergo hic cernitur promissio. Nam promissio illa, quæ fit in baptismo, rata habetur & confirmatur nova promissione, quoties ad sacram cœnam accedimus. Hæc promissio posterior retro trahitur ad illud tempus, quo baptizati fuimus, ac proinde promissionis in baptismo factæ est ratihabitio. Neque vero tum solum confirmatur promissio in baptismo facta, quando sacra cœna utimur, sed etiam quoties baptismi nostri recordamur. Recordari autem quotidie debemus. Ex his efficitur, fidelibus non opus esse novo voto, ut se de iis obligent Deo, quæ in suo baptismo promiserunt; nisi ad recordationem, confirmationem, & firmiorem perseverantiam sibi imponendam.

5. *Quale sit votum singulare?* Quod aliquis singulariter ex speciali causa vovet: idque vel cum conditione, vel sine illa: ad tempus, vel in perpetuum.

6. *An utile sit & necessarium huiusmodi vota vovere?* Ita est. Nam interior homo hac ratione valde provehitur. Sed

hoc

hoc paucis datum est vel assequi, vel exqui.

De confessione veritatis cœlestis.

1. *An confessio veritatis cœlestis sit necessaria?* A. Si gloria Dei, officium nostrum, & salus tum nostra, tum aliorum sic exigant.

2. *Quot modis fiat confessio veritatis cœlestis?* Partim ore, partim martyrio. *Ore*: ut cum fine ambiguitate & obscuritate profitemur, quod corde sentimus. *Martyrio*: ut cum cruce, imò etiam, cum Deo ita visum est, morte ipsa veritati testimonium perhibemus.

3. *Quanam sint κεφάλαια confessionis legitima?* Si quis veritatem in verbo Dei patefactam, ubi gloria Dei & salus tum nostra tum proximi sic postulant, confessionem edit. Ideo non est confessio veritatis illa impia pertinacia hominum fanaticorum in suppliciis, quæ perferunt propter seditionem.

4. *Quid inprimis necessarium sit, ut aliquis, re sic exigente, fiat confessor?* Præcautio, & æstimatio tum doctrinæ cœlestis, tum salutis animæ.

CAP. XLI.

De bonis operibus quarti præcepti.

De sanctificatione sabbati.

1. *Quid sit sanctificare sabbatum?* Vacare cultui divino solenniter, in omnibus ordinibus vitæ humanæ; verum ita, ut cum ista solennitate conjungamus sabbatum internum, quod positum est in cessatione à peccatis.

2. *Quomodo perveniri possit ad sanctificationem sabbati?* Si 1. cogitemus hujus operis pietatem, necessitatem, utilitatem, facilitatem. 2. attendamus, ne cui scandalum præbeamus. 3. diebus profestis opera vocationis nostræ sanctè & diligenter faciamus. 4. Deum oremus, ut corda, totumque nostrum hominem sanctificet.

3. *Quomodo sit honorandum ministerium Ecclesiasticum?* Reverenti opinione, honorifica mentione, & liberali sustentatione.

4. *Quis sit modus perveniendi ad venerationem sacri ministerij?* Si magistratus & parentes non desint suo officio: & omnes cogitent hujus muneris necessitatem, dignitatem, & utilitatem.

5. *An*

5. *An die Dominico quadam opera servilia sint licita?* Ordinatorie negatur. Ita enim impediretur hujus diei sanctificatio. Hinc laudatissima illa sanctio lib. 3. Cod. tit. 12. *Omnes iudices, urbanaq; plebes, & cunctarum artium opificia, venerabili die Solis quiescant.* Permittitur tamen ibidem in casu necessitatis frumenta sulcis, & vineas scrobibus mandare: *ne occasione momenti pereat commoditas cœlesti provisione concessa.*

6. *An opera charitatis operosiora sint exercenda die Dominico?* Si necessitas ita postulet, affirmatur. Licet enim verbi gratia asinum vel bovem, si in fossam decidit, extrahere; medicamenta operosiora in casu necessitatis præparare &c. Nimirum cultus Dei externus cedit charitati proximi.

De rituum Ecclesiasticorum observatione.

1. *An Ecclesia novi Testamenti habeat dies festos præter Dominicum?* Habet: videl. festum Christi, & Spiritus sancti. Festum Christi est nativitatis, circumcisionis, passionis, resurrectionis & ascensionis Christi. Festum Spiritus sancti est festum Pentecostes. Cæterum hæc festa non ita obli-

gant

gant conscientiam ut dies Dominicus. Nam hic est necessitatis: illa, libertatis.

2. *An musica in templis Christianorum habeat aliquem usum?* Musica vocalis, seu cantus, in Ecclesia retineri debet, tanquam species quædam precationis, itemque adminiculum excitandi in cordibus spiritualem lætitiam, aut alium affectum competentem. Quod attinet ad musicam instrumentalem, illa majorem habet usum intra privatos parietes, ad tristitiam & animi ægritudinem, iram & indignationes, aliosque affectus concitatos sedandos, & spiritum recreandum & recolligendum: quàm in publicis sacris N.T.

3. *Quid sit observandum circa Psalmodiam Ecclesiasticam?* 1. Ne in hac musica cultus & pietatis prora atque puppis constituatur, & tempus hoc exercitio teratur. 2. Ut cantus lingua vernacula exerceatur. 3. Ut musica ista non sit fracta aut confragosa, quæ verba percipere non sinit, & plus ad carnalem voluptatem, auriumque titillationem, & profanum gaudium, quàm ad veram animorum devotionem est comparata. 4. Ut illa canantur, quæ divinis textibus, qui explicantur, & affectui præsenti conveniunt.

4. Quo-

4. *Quomodo debeant esse comparatæ ceremoniæ Ecclesiasticæ?* Substantia ipsarum debet esse conformis verbo Dei: circumstantiæ regantur prudentia & gravitate secundum Dei verbum.

De jejunio religioso.

1. *An ieiunium etiam in N.T. sit necessarium & utile?* Omnino. Est enim admirabile precationis, & aliarum virtutum homine Christiano dignarum.

2. *An formalis ratio ieiunij sit posita in abstinentia ab omni cibo & potu?* Ita. Intellige ad certum tempus. Itaque non verè, sed quasi jejunium, si quis loco vini bibat aquam, & loco cibi delicati grossum loquuntur.

3. *Quinam sint fines pij, seu religiosi ieiunij?* 1. ut caro dometur. 2. ut homo interior ad preces serio cordis affectu concipiendas præparetur. 3. ut nos totos cum vero animi dolore coram Deo abjiciamus & humiliemus. 4. ut hoc testimonio externo alios ad resipiscentiam acuamus.

4. *Quotuplex debeat esse ieiunium?* Publicum & privatum. Utrique certa analogia respondere debent certa signa pœnitentiæ. v. g. lacrymæ, vigilia, &c.

Ci

Cap. XLII.

De bonis operibus quinti præcepti.

De generalibus virtutibus huius præcepti.

1. *Quænam sit summa huius præcepti?* Ut inferiores honorent superiores; & vicissim ut superiores ita se gerant erga inferiores, ut digni sint, qui ab illis honorentur.

2. *Quænam sint partes honoris erga superiores.* Amor, obedientia, subjectio, æquanimitas, & gratitudo.

3. *Quotuplices sint superiores, quibus debetur honor?* Sunt superiores ætate, authoritate, & donis.

4. *Quænam sint officia superiorum erga inferiores?* Prælucere illis bono exemplo; gravitatem iisdem ostendere; & illos punire pro ratione delicti.

De officiis parentum & liberorum.

1. *Quid parentes liberis debeant?* Educationem, nutritionem, defensionem, & castigationem.

2. *Quid sit honorare parentes?* 1. Illos reverenter observare. 2. Obedienter parere ipsorum imperio, seque ab eis regi sustinere. 3. Studere mutuam vicem rependere, adeoque tum se, tum suas operas sedulò ipsis impendere. 4. Nævos ipsorum patienter ferre.

3. *Quisnam sit modus perveniendi ad hono-*

rem parentum? Cogitare, quantum parentibus debeamus. 2. Expendere, quo loco haberi velimus, si parentes simus. 3. Declinare improborum liberorum commercia. 4. Orare Deum, ut nobis largiatur cor morigerum. 5. Ponere sibi ob oculos exempla morigerorum liberorum. 6. Meditari benedictionem Dei, quæ manſit & semper manebit morigeros liberos. 7. Repetere memoria pœnas impiorum liberorum.

4 *An parentes teneantur honorem exhibere liberis officio magistratus fungentibus?* Ita dicendum. Tum enim est alia relatio. Scholastice inquedices, parentes non honorare liberos suos formaliter, h.e. qua liberos, sed materialiter, h.e. qua tales liberos.

5. *An à liberis requiratur cœca & universalis obedientia erga parentes?* N. Nam hujusmodi obedientia debetur soli Deo. Deinde parentes possunt aliquid humaniter, & imperare ea quæ Deo ejusque legi adversantur.

De magistratu.

1. *An magistratus omnis, sive bonus, sive malus sit à Deo?* Ita est, *Rom.* 13. Vide sup. de providentia.

2. *Cur Deus tam malis gubernatoribus, nempe diabolo & tyrannis, magnam mundi partem permittat?* Hîc oportet ingredi sanctuarium Dei, & ibi discere, 1. Deum in

ipso suam potentiam spectandam nobis, & agnoscendam præbere: quòd cùm nullus artifex idoneis instrumentis destitutus aliquid egregii arte sua efficere possit; ipse p organa pessima, & contra organorum cogitationes, intentionem, & voluntatẽ, res magnas & memorabiles efficiat: ut in Pharaone *Exod* 10. *Rom*. 9. videre est. 2. Diabolo & tyrannis non talem permitti in mundo potentiam & administrationem, ut pro libitu agant & grassentur: sed à Deo circumscribi & limitari omnia: ipsum iniicere frenum, & metas ponere eorum libidini: oculos ipsius omnia observare: & de ipsis supplicium sumere, vel in hac vita, vel in futuro seculo. 3. His tentationibus probari animos piorum. 4. Hæc omnia piis adjumẽto esse ad ipsorum salutem 5. Deum spiritu suo signare electos, ut in mediis mundi furoribus sua habeant halcyonia.

3 *Quid & quotuplex sit officium fidelis magistratus circa religionem?* Est servitus, quam magistratus servire Deo debet in Ecclesia. Estque duplex; commune & proprium. *Officium commune* est, ut magistratus subdat collum suũ Christo, & jugo Christi, ejusq; doctrinæ & disciplinæ obediat, non minùs quàm subditi ipsius. Hoc enim Christianus magistratus commune habet cum cæteris piis hominibus omnibus. *Officiũ pro-*

prium est, diligenter curare, ut in sua di-
tione vera religio ex puro Dei verbo, pe
ipsum Dei verbum explicato, & juxta a-
nalogiam fidei, hoc est, communissima
notissima, minimeque controversa fide
principia, intellecto, aut instituatur; au
instituta conservetur pura, aut corrupt
instauretur & reformetur, ad gloriam De
& ad suam suorumque subditorum sal
tem. Proinde I. conventus Ecclesiæ ord
narios, velut conciones statas & presby
ria, authoritate sua tuebitur; & qui eos c
temnunt, deserunt, vel impiè negligunt,
officium adducet. II. Extraordinarios c
ventus, quoties opus erit, indicet, velut
nodos, visitationes Ecclesiarum &c. III
Fidos Ecclesiarum ministros tuebitur
defendet, asserta eorum, ut par est, auth
ritate, assignatisque ipsis stipendiis suf
cientibus & honestis. IV. Dissentientes
religione, *si sint Christiani*, ut Papistæ &
dociles quidem cum lenitate instituet cu
bit, indociles verò & refractarios vel co
cebit, ut quiescant & turbas in religio
non moveant; vel si sint blasphemor
dogmatum autores, & ptinaces defen
res ac disseminatores, vel carcere, vel
lio, vel etiam gladio puniet: *si verò non*
Christiani, veluti sunt Iudæi, permi
quidem in sua ditione habitare, & civil
co

cum aliis subditis conversari & negotiari, verum ita, ne pacem publicam turbent, Christum & ejus Ecclesiam blasphement, Christianos premant. V. Scholas instituet, vel institutas conservabit.

4 *Quodnam sit officium magistratus in rebus corporalibus, hanc vitam concernentibus?* Exercere misericordiam & judicium, in bonorum vita ac facultatibus tuendis, inque malis puniendis: in justis, honore; in injustis ac sceleratis debito supplicio afficiendis: denique in dando unicuiq; quod suum est.

5. *Quid de convenientia & differentia gubernationis Ecclesiasticæ & politicæ sit statuendum?* 1. Non pugnant inter se, sed altera alteri est apta. 2. Mutua hìc est subjectio. 3. Non sunt confundendę, ita ut unus idemque sit simul Episcopus & Princeps secularis. 4. Politica gubernatio conjuncta est cum imperio & potestate coactiva: Ecclesiastica est simplex ministerium, solo Christo, velut Ecclesiæ capite, imperium sibi reservante. 5. Politicæ gubernationis objectum proprium sunt τὰ βιωτικὰ, ut vita, corpus, facultates, bona existimatio &c: Ecclesiasticæ τὰ πνευματικὰ, id est, res divinæ, tum illæ quas Deus præcepit, tum hæ quas Ecclesiæ honestas & ordo postulat constitui atque observari. 6. Politicæ gu-

bernationis finis proprius est conser
societatis civilis: Ecclesiasticæ, cons
tio communionis Sanctorum.

6. *An magistratus possit imperare relig
quam volet?* Minimè. Oportet enim
præscriptum Dei. Quòd si ergo magi
tus contra veritatem Dei aliquid sta
jit, Ecclesia apertè modestèque expon
nihil contra veritatem posse, sed pro
tate; magisque obediēdum Deo esse q
hominibus.

7. *Quomodo nos gerere debeamus erga
stratum infidelem: qualis est Turcicus, vel
tilis?* 1. Subjectionis officia ipsi præsta
Rom. 13. 1. Tit. 3. 1 1. Pet. 3. 13. 2. Pro illo o
bimus 1. Tim. 2. 1. & seqq. 3. Impiis edi
psius neutiquam obtemperabimus:
potiùs Christi & Evangelii causa exu
mus, vel etiam moriemur.

8. *Quisnam sit modus perveniendi ad
gistratus dignam venerationem?* 1. Cog
necessitatem, honestatem, utilitatem
difficultatem hujus muneris. 2. Decli
commercia hominum, quibus volup
suas querelas & maledicentiam in pr
pes evomere. 3 Perpēdere, quàm facile
queat, ut magistratus ope egeam. 4. O
Deum, ut subditorū & magistratuum
mos in sui timore cū mutua fide cōju

9. *An subditi bona conscientia possint r*

re magistratui legitimo? Non singuli, sed universi possunt: si magistratus aliquoties rogatus & monitus pergat convellere leges fundamentales

10 *Quid sit honorare magistratũ?* 1. Se magistratui subiicere, etiamsi in Ecclesiastico statu versetis. 2. Omnia officia honesta ipsi præstare. 3. Tributa ipsi conferre. 4. Tolerare mores difficiles, & durum ipsius imperium: nisi planè excedat modum.

11. *Quodnam sit officium iudicis?* 1. Timere Deum. 2. Diligentiam adhibere in causa accuratè cognoscenda, & utraq; parte audienda. 3. Peritiam juris temperare justitia. 4. Vitante δωροφαγίαν & προσωπολημψίαν.

De officio coniugum.

1. *Quanam in re sit positum hoc officium?* In sanctitate conjugii, & dispensatione rei familiaris. Sanctitas conjugii cõsistit tam in legitima conjugum desponsatione, tum in officiis conjugalibus, quorum alia sunt cõmunia, alia propria. *Communia* sunt in συγχύσει & justitia conjugali; & hæc in eo vertitur, ut 1. ambo conjugalem amorem integrũ & impollutum conservent. 2. Consuetudine jucũda cohabitent, & pacificè unà vivant, ne extranea solatia quærere cogantur. 3 Ne quærant dissolutionem cõjugii. 4. Se mutuò diligant, sine zelotypia.

Propria officia sunt tum mariti, tum uxoris. *Mariti* est, 1. tueri uxorem. 2. Illi reddere mutuam benevolentiam. 3. Decenter illam tractare in ornamentis, & rebus necessariis. 4. Leniter, si opus sit, illam corrigere & admonere. *Uxoris* est, 1. marito subjectam esse. 2. Castam & pudicam, verecundam & taciturnam, piam & discretam esse. 3. Domi se continere, ad familiam regendam: non divagari.

2. *An maritus habeat potestatem vitæ & necis in uxorem?* N. Hæc siquidem potestas est soli magistratui à Deo concessa.

3. *An licitum sit marito uxorem quandoque verberare?* Nonnisi in casu extremæ necessitatis: & tum ita, ut servetur modus.

4. *An maritus iusta zelotypia correptus possit bona conscientiâ adulterum uxoris sui medio tollere?* Si dolore isto, seu potiùs, spiritu zelotypiæ, abreptus, committat homicidium, etsi illud non est capitale: non tamen hoc factum vacat peccato. Itaque rectius est, deferre totum hoc negotium ad magistratum.

De officio dominorum & servorum.

1. *Quodnam sit officium dominorum erga servos?* 1. Moderatè uti suo in servos imperio. 2. Remunerari beneficè labores servorum, ut ne compulsi necessitate furentur. Primum illud officium requirit, ut domini

servos

servos non gravent nimis laboribus: deinde, ut illis placidè imperent: denique, ut ipsos placidè etiam, cùm officium neglexerunt, objurgent, ne verbis durioribus exasperentur.

2. *An domini habeant potestatem vitæ & necis in servos?* N. Hoc enim est solius magistratus, quem Deus gladio armavit.

3. *Quodnam sit officium servorum?* 1. Suos heros omni honore dignos ducere, & non despicere. 2 Ex animo, imperatos à dominis labores perficere. 3. Esse fideles in iis, quæ sibi committuntur. 4. Morum integritatem custodire, ne uxor, filii, filiæ, conservi, & ancillæ corrumpantur.

De officio pastorum & auditorum in Ecclesia.

1. *Quodnam sit officium pastorum in genere?* 1. Preces in publico Ecclesiæ conventu suscipere. 2. Verbum Dei docere & explicare, catechisando & concionando. 3. Sacramenta administrare. 4. Ægrotos visitare. 5. Disciplinam Ecclesiasticam exercere. 6. Providere, ne bona Ecclesiastica damnum aliquod patiantur.

2. *Quodnam sit officium pastoris, qui dicitur Superintendens?* Advigilare, ut politia & jurisdictio Ecclesiastica sarta tecta conservetur. Politia Ecclesiastica respicit ceremonias externas, & externam morum for-

mam homini Christiano convenientem jurisdictio cernitur in disciplina ecclesiastica. De his vide supra *c. 28. de ecclesia.*

3. *Quodnam sit officium presbyterorum?* Disciplinam Ecclesiæ regere, omnibus in officio retentis; aut si semel abducti fuerint revocatis: idque in omnibus disciplinæ capitibus, tum essentialibus, tum accessoriis.

4. *Quodnam sit officium diaconorum?* Recte procurare & dispensare bona ecclesiastica, ita ut dividantur in quatuor partes: quibus prima detur pastoribus: secunda pauperibus impendatur; tertia tuendis templi ædificiis destinetur; quarta in fiscum Ecclesiæ inferatur, pro pauperibus advenis, captivis &c.

5. *Quodnam sit officium auditorum in Ecclesia?* Doctrinæ Christi ex animo obedire eamq; pro virili promovere, donis à Deo sibi datis, opera & modo quo possunt.

De officio præceptorum & discipulorum.

1. *Quodnam sit officium præceptoris in genere?* Docere, & disciplinam scholasticam custodire.

2. *Quodnam sit officium discipuli in genere?* Adhibere diligentiam, & præceptori præbare obedientiam, gratitudinem, modestiam, & inprimis pietatem.

3. *An autores ethnici rectè in scholis*

centur? Quantum ad eloquentiam & historiam attinet, opus sunt illi authores. In reliquis fermè modus hodiè exceditur.

4. *An compendiis necessariò studere debeat præceptor?* A. si non sint dispendia.

5. *An studium Alchymiæ sit probandum?* Non nisi extraordinariis ingeniis hoc studium convenit.

CAP. XLIII.

De bonis operibus sexti præcepti.

De defensione vitæ tum nostræ, tum proximi nostri.

1. *QVanam in reposita sit defensio & cura vitæ nostræ?* In istis. 1. In sustentatione & recreatione honesta. 2. In medicina conveniente. 3. In propulsatione injuriæ, q̃ fit cum moderatione inculpatæ tutelæ.

2. *Quomodo debeamus defendere vitam proximi nostri?* Benefaciendo, & admonendo. Mandatur enim hîc à Deo beneficentia, pacis & concordiæ studium, humanitas, patientia & mansuetudo.

3. *Quomodo debeamus nos gerere erga proximum tempore pestis?* Duûm generum officia ipsi sunt exhibenda: communia, & propria. Illa sunt officia humanitatis; hæc propinquitatis, & specialis obligationis, quæ oritur ex munere Ecclesiastico, jure viciniæ, & similibus. Vulgo hîc eleganter distinguunt inter vocationem

officii, & charitatis. Ubi observentur hi aphorismi. 1. Qui sunt infecti, illis non est interdicendum igni & aqua, sed ita sunt tractandi, ut lex humanitatis & Christianitatis postulat. 2. Conciones sacræ non sunt omittendę. 3. Discrimen est observandum, imò & imperandum, inter infectos hac lue, & sanos 4. Animosi quidam & cordati sunt eligendi, qui adsint ægrotis, & illos curent. 5. Defuncti honorificè sunt sepeliendi, observato discrimine illo, de quo jam diximus.

4. *Si pater tuus, itemque filius sint in eodem periculo, & unum tantùm servare possis, quid sit faciendum?* Major est necessitudo inter te & patrem tuum, quàm inter te & filium tuum. A patre siquidem habes vitam. Illi ergo potiùs succurrendum.

5. *Si periclitetur vir bonus, & item vir malus; & si malus vel magis periclitetur, vel facilius possit liberari, cui sit succurrendum?* Viro bono: quia in illo est plus imaginis Dei.

6. *Quòd si videamus multos ignotos, & unum quem nôris bonum esse in periculo, an isti multi potiùs eripiendi sint, quàm unus ille notus?* Ignoti isti, utpote plures, inter quos possunt esse viri boni, præferendi sunt.

7. *Quid faciendum sit, si in uno eodemque periculo constitutum videas infantulum aliquem, & deinde adultum; utrum potiùs huic,*

an illi sit succurrendum? Si adultus, sit vir publicè utilis & benè meritus, illi potiùs succurrendum.

8. *Si agatur de vita amici, & itidem viri boni alieni, uter sit adiuvãdus?* Amicus. Huic enim majori vinculo obligaris, quàm alieno.

9. *Quomodo ad fugam homicidij & dilectionem vitæ proximi pervenire possimus?* Si 1. humilitati & humanitati studeamus. 2. Consortia hominum sanguinariorum fugiamus. 3. Ebrietatem & contentiones studiosè declinemus. 4. Deo committamus vindictam. 5. Oremus Deum, ut regat nostros affectus. 6. Sedulò perpendamus causas, quę ab homicidio nos avocare debent: uti sunt lex Dei, præstantia hominis, pœnæ quæ manent homicidas &c.

10. *An liceat sibi mortem consciscere, ut patriam servemus, castitatem tueamur &c.* N. Nam seipsum interficere est actus moraliter malus. Jam verò non sunt facienda mala, ut eveniant bona.

De bello.

1. *An bellum ita possit geri, ut nulla peccata grassentur in nostro exercitu?* N. Neque enim bellum geritur ab angelis. Interim tamen disciplina militaris sic est observanda, ut occasio peccandi præcidatur, quantum fieri potest.

2 *An bellum sit inferendum barbaris, hoc nomine, quòd barbari sint?* Si illorum barbaries nobis non sit noxia, statuitur thesis negativa.

3. *An religio armis sit propaganda?* Affirmatur, si nobis data sit belli occasio legitima.

4. *An bellum sit iustum, quod Christiani sibi invicem inferunt?* Interdum est justum, interdum secus.

5. *An iure belli acquiratur absoluta potestas?* N. Oportet enim victorem sibi proponere jus naturæ, gentium, & Dei.

CAP. XLIV.

De bonis operibus septimi præcepti.

De castitate, temperantia, & verecundia.

1. *Quid sit castitati studere?* Puritatem animi & corporis amare & conservare. *Animi* ut ille liber sit, vel saltem liberatus à concupiscentia carnali. *Corporis* ne concupiscentias carnis exequatur.

2. *Quomodo perveniri possit ad studium castitatis?* Si 1. vigeat studium & labor honestæ vocationis, 2. Accedat ardens invocatio Dei. 3. Resecentur occasiones, origines illæ & fomites peccatorum. 4. Spiritus roboretur, ut ad carnem domandam fortis esse

esse queat. 5. Scortationem non habeamus pro levi crimine: quod facere solet immūdus hic mundus.

3. *Quid sit temperantia?* Est virtus, quæ moderatur appetitiones cibi & potus, ita ut nec precationem, meditationem, & labores vocationis, ingluvie impediamus, nec somnum & valetudinem nimia inedia lædamus.

4. *Quomodo perveniri possit ad culturam temperantiæ?* Si 1. oremus Deum, ut nobis largiatur spiritum pœnitentiæ, castitatis, & temperantiæ. 2. Cogitemus pœnas, quæ manent intemperantes in hoc & futuro seculo. 3. Fugiamus occasiones. 4. In conviviis servemus modum in edendo, bibendo, iocando, manendo.

5. *Quid sit verecundia?* Est modestia in gestibus, vestitu, & sermone; quæ omnia ita regit, ut conveniant ordini naturæ, personarum, & locorum.

De conjugio.

1. *Quid sit conjugium?* Est legitima unius maris & unius fœminæ coniunctio ad sobolem procreandam, vel fornicationem vitandam, vel mutuum adiumentum.

2. *An cōjugio adversetur cœlibatus?* Opus est distinctione. Nam cœlibatus aut est pius & purus, aut impius & impurus. Posterior adversatur coniugio.

3. *Quæ*

3. *Quæ sit causa efficiens proxima coniugij?* Consensus contrahentium, h. e. sponsi & sponsæ.

11. *An consensus parentum sit de necessitate coniugij?* Negatur de necessitate simplici & absoluta: affirmatur de necessitate conditionata, quæ oritur ex hypothesi mandati divini, imò & legis naturę. Requiriturque ad coniugium futurum. Vide infra *quæst.* 11.

5. *An in sponsalibus de futuro, quæ vocant, attendere oporteat conditionem?* Affirmatur de conditione honesta & pertinente ad coniugium. Nisi enim hæc fuerit impleta, dissolvitur contractus. Tales sunt hæ conditiones: *Si parentes consenserint; si dos mihi dabitur conveniens.* Sed cùm sequitur concubitus, non expectata conditionis impletione, ea conjunctio judicatur esse coniugium: quia personæ convenientes à conditione discesserunt. Sin autem conditio est peregrina, id est, nihil pertinens ad cõjugium; vel turpis, vel impossibilis; à judice reiicitur, tanquam non esset addita: nec propter eam dissolvitur contractus, etiamsi non sit impleta: ut sophistica & petulantia in decipiendo misero & imbecilli sexu prohibeatur.

6. *An sponsalia de præsenti sint ipsum matrimonium?* N. Etenim in hujusmodi sponsali-

salibus per verbum præsentis temporis, seu categoricè, promittitur conjugium. Itaque hic est initium conjugii, non verò consummatio & perfectio.

7. *An propter errorem personæ possint dissolvi sponsalia & coniugium?* Omninò. Hic enim dolus intervenit: ut cùm Jacobo tradita est Lea pro Rachele. Poterat igitur Jacobus repudiare Leam: sed non est usus summo jure.

8. *An error fortunæ dissolvat sponsalia & coniugium?* N. Etenim hujusmodi error ad substantialia conjugii nihil pertinet.

9. *An error qualitatis dissolvat sponsalia & coniugium?* Opus est distinctione. Nam qualitas illa est generalis, ut cùm malè morata ducitur, quæ putabatur benè educata: vel specialis, ut cùm aliquis ignorans ducit ab alio compressam, vel ex alio gravidam. In priori casu non dissolvitur conjugium, sive promissum, sive cõsummatum: in posteriori alia est sententia Mosis, alia usitati juris. Moses *Deut.* 22. jubet lapidibus obrui compressam ab alio, quæ postea tanquam virgo nupsit alteri, si fuerit accusata, & vir petat divortium. Usitati juris processus est duplex: alius ante concubitum, alius post concubitum. Ante concubitum factum hic processus est tenendus. Primùm tentanda est reconciliatio, ut is qui

qui errore duxit compressam ab alio, re
neat eam, præsertim si est modesta, &
stè deinceps sit victura. Si verò reconcil
tio non procedat, fit divortium. At p
concubitum pronuntiatur, ut sponsus
marītus retineat antè compressam ab al
sive sciens, sive inscius talem duxerit. L
que in recentibus cōstitutionibus est s
ctum.

10. *An sponsalia coacta sint rata vi coacti
nis?* N. Non enim est consensus contra
tium, ac proinde nec coniugium, cùm p
sona cogitur ut coniugium promittat.

11. *An coniugium sit irritum, quod initu
est refragantibus parentibus?* Opus est distin
ctione. Nam desponsationes iudicantu
irritæ refragantibus parentibus, ante co
mixtionem seu concubitum: quia non
violanda authoritas parentum. Verùm
iudicum officium pertinet considera
ubi parentes probabilem causam habe
refragandi, & ubi non sit probabilis caus
At post concubitum non potest coniu
gium authoritate parentum rescindi; qu
non est iam quæstio de futuro coniugi
& fieret iniuria desertæ mulieri.

12. *An consensus eorum, qui parentum lo
cem gerunt, v. g. tutorum, sit de necessitate, vel
honestate?* Posterius affirmatur.

13 An

13. *An coniugia rectè contrahantur cum hæreticis, & omnino diversæ religionis hominibus?* Tametsi non facilè sunt contrahenda huiusmodi matrimonia: si tamen contrahantur, valida sunt; & proinde in iis servanda est fides coniugalis. Itaque si quis contrahat matrimonium cum hæretico, & nihil aliud obstet, quàm hæresis, legitimum censeri debet cõiugium. Ratio est; quia hæresis non numeratur inter impedimenta, quæ dirimunt matrimonium. Ergò non obstat, quò minùs matrimonium sit validum, si aliunde non sit defectus. Etsi enim inter eiusmodi impedimenta numeretur *cultus disparitas*: hoc tamen intelligitur de disparitate cultus, quæ est inter fidelem & infidelem, h. e. non-baptizatum.

14 *Quænam personæ sint idoneæ ad coniugium?* Duo hic requiruntur. 1. Ut personæ contrahentes, ob ætatem & dona ad œconomiam necessaria sint maturæ. 2. Ut possint coniungi vel ex potentia procreandæ sobolis, vel ex lege naturæ. Itaque *desponsatio impuberum*, facta à parentibus vel tutoribus, non est initium veri coniugii; potestque dissolvi, cùm deinde voluntas puberum accedit. Nec cogenda est persona repugnans. Hinc & illud consequitur, *spadones, & quibus natura*

est

est læsa fascino vel veneno, nequaquam fieri conjuges. Ideo etiam nuptiis celebratis, cū triennii spatio explorata est spadonis frigiditas, aut toto triennio frustrà tentata est naturæ læsæ medicatio, judex pronuntiare potest, illas personas liberas esse. Nec fit tunc divortium, quia non erat conjugium. Et personæ, quæ habet vires naturæ integras, potest concedi alia felicior copulatio legitima. Ad extremum *ex lege naturæ* non possunt contrahere matrimonium, qui sunt propinqui carne. *Levit.* 18. Hi enim conjungi prohibentur, nisi cùm mera necessitate urgentur, deficientibus nempe personis, quæ non sint propinquæ carne, ut in prima & secunda populorum origine: illâ sub Adamo, hac sub Noe.

15. *Quanam sint præcipuæ regulæ de prohibitione coniugij?* Istæ quatuor. 1. *In linea recta omnes ascendentes & descendentes prohibentur à mutuis coniugiis*: ut naturæ ordine, ita ob sanguinis reverentiam. Quare si Adam hodie superstes esset, non posset ducere uxorem. 2. *In linea collaterali æquali, quanquam iure divino concessum erat coniugium in secundo gradu; ideoque fratrum filiis & filiabus licuit inter se contrahere: tamen nunc iure humano prohibitum est intra quartum gradum*: Ut nempe majore reverentia divinæ prohibitiones observentur. Ita Jacobus

duxit

duxit consobrinam suam Rachelem, cui iunctus erat in secundo gradu. Othoniel duxit Axam, cui etiam secũdo gradu iunctus erat. 3. *In linea collaterali inæquali prohibita sunt coniugia iure divino in secundo gradu*: propterea quòd hi in linea inæquali parentum & liberorum vicem gerunt. Frater igitur non debet ducere sororem, nec nepos amitam aut materteram; nec neptis nubere debet patruo aut avunculo. 4 *Prohibitio coniugij in primo gradu affinitatis est iuris naturæ.* Incestum ig. comm sit Herodes, ducta Herodiade Philippi fratris uxore: quia Herodias ipsi iuncta fuit primo gradu affinitatis. Sic peccavit etiam Ruben; quando attigit novercam, utpote sibi iunctam in primo gradu affinitatis.

16. *An valeant dispensationes, quæ concedunt commixtionem in gradibus prohibitis Levit* 18? N. Nam istæ leges sunt leges naturæ, quæ obligant omnes gentes: & ob quarum violationem Ægyptii & Cananæi incestuosi puniti sunt, ut textus in Levitico expressè docet.

17. *Quanam in re sit posita fides coniugalis?* In hisce tribus. 1. Ut neuter, vivente altero, cum alia persona copuletur. Nam vinculum matrimonii est indissolubile, nec aliter quàm per mortem alterius dissolvitur. *Rom.* 7. 2. 2. Ut alter alteri debitum reddat

dat 1. *Corint.* 7. 3. 3 Ut alter cum altero cohabitet, & simul familiam administrent, ita tamen, ut mulier subdita sit viro 1. *Cor.* 11. 3.

18. *Quomodo perveniatur ad purum & sanctum coniugij usum?* Si illud contrahatur cum fidelibus, & si fieri possit, paribus. 2. Cogitetur, uxorem solam esse usufructuariam corporis mariti sui, & vicissim. 3. Adhibeatur coniugium, tanquam medium & remedium divinitùs ordinatum ad domandam, non explendam, libidinem; & tanquam medium institutum ad propagationem Ecclesiæ. 4. Observetur illud *Ora & Labora*. 5. Vitentur occasiones libidinis 6. Cogitentur exempla sanctorum. 7. Ob oculos ponatur coniugium Christi cum Ecclesia. 8. Ad animum revocetur benedictio piorum cõiugum. 9. Denique coniugium habeatur pro officina omnium virtutum, & seminario reliquorũ statuum vitæ humanæ.

19 *Quot sint causæ divortij?* Duæ tantùm: adulterium, *Matth.* 5. 32. & 19. 9. & desertio, id est, malitiosa alterius coniugis discessio, nulla iusta causa, sed vel levitate, vel iniusta impatientia fræni coniugalis, vel aliis non necessariis causis 1. *Cor.* 7. 15. Quod attinet ad lepram, vel alium morbum horribilem, illa tollunt usum, non verò vinculum

culum coniugii, nisi coniuges ita velint.

20. *Quot sint observanda in divortio?* Duo ista: modus procedendi, & tempus post quod personæ innocenti possit concedi aliud coniugium. *Modus procedendi* complectitur tum legitimā cognitionem iudicū, tum tentationem reconciliationis, vel pronuntiationem sententię. *Temporis* consideratio est duplex. Nam 1. in casu adulterii nō præscribitur tempus personæ innocenti, postquam res est iudicata. 2. In casu desertionis conceditur coniugium, si certò constet, personam desertricem vel mortuam esse, vel hîc aut alibi adulterio commisso coniugium dissolvisse, vel cognita citatione comparere noluisse. Aliâs persona deserta debet expectare septennium vel novennium.

21. *An in casu adulterij tantùm fiat separatio quātum ad mensam & torum?* N. Nam vinculum coniugii prorsus dissolvitur. Quòd si separatio illa tantùm fieret quantum ad mensam & torum, persona rea maneret ligata & divortium non reipsa fieret, sed tantùm nomine seu verbis.

22. *An divortium in causa adulterij, in omnibus casibus sit concedendum?* N. Excipiuntur enim isti casus. 1. Si is, qui dimissio-

missionem capit, eiusdem criminis est re-
2. Si postquam de coniugis adulterio co-
gnovit, cum ea rursus consuevit. 3. Si mari-
tus uxorem ipse prostituit 4. Si maritus ex-
clusionem nocturnâ, desertione malitiosa,
aut alia ratione, peccandi occasionem præ-
buit.

CAP. XLV.

De bonis operibus octavi præcepti.

1. AN *distinctio dominiorum à Deo sit or-
dinata?* Sic est. Nam hoc præceptum
non prohiberet furta si omnia bona essent
communia. Furtum enim est rapere ali-
quid ex alieno. Deus igitur prohibens fur-
ta, expressè sancit distinctionem dominio-
rum.

2. *Quomodo servari possit iustitia commu-
tativa?* Si cogitentur istæ regulæ. 1. Con-
tractus omnes ad æqualitatem reducendi
sunt. 2. Contractus conformentur ad illam
legem naturæ, *Quod tibi non vis fieri, alteri
ne feceris.* 3. Mutua obligatio teneatur.

3. *Quid sit observandum de beneficentia, seu
liberalitate?* 1. Beneficentia communicat fa-
cultates & operas non debitas obligatione
civili, sed naturali vel divina, ubi & quan-
do decet. Sunt autem debita iure naturæ
omnia beneficia & officia necessaria, quæ
nos sine nostro incommodo præstare pos-
sumus. 2. Danda sunt beneficia vultu ser-

no & hilari, qui voluptate afficiatur, quod aliis prodesse possit. 3. Distinguendum est inter bona & officia, quæ aliis communicantur. Nam alia non pereunt nec consumuntur usu & communicatione: ut de suo lumine alteri accendere lumen, monstrare viam, dare consilium fidele, liberaliter communicare bonarum rerum doctrinam: alia usu & communicatione absumuntur, ut pecunia, frumentum &c. In his oportet esse modum liberalitatis, ita nempe, ut fontes quidem nostri deriventur foràs, verùm ut nos maneamus illorum domini.

4. *Quomodo proximus legitimè in ius vocetur?* 1. Si in litibus nihil fiat in Christianæ religionis contumeliam. 2. Si forense judicium sit ultimum, non verò primum remedium. 3. Si inter litigandum, charitatis regula observetur. 4. Si inimicus causæ sit amicus personæ. 5. Si ille, qui causâ est superior, alteri non insultet.

5. *Cur Deus pauperes & miseros in populo suo publicè conspici, aut passim oberrare noluerit, stipem emendicantes?* Multæ & gravissimæ hujus legis, quæ occurrit *Deut.* 15. 4. sunt rationes. 1. quia Deus injuria quadam afficitur, si homines illi, qui sunt ipsius confœderati, & veluti peculium, fiant publica egestatis & miseriæ humanæ exempla atque specula. 2. quia in ipsum Christum

peccatur, qui suo loco nobis reliquit paupe-
res in his terris. 3. quia mendicitas illa re-
pugnat unioni & conjunctioni illi, qua nos
omnes sumus unum Christi corpus. Quan-
tam enim membri, vel unius, debilis &
ægri in corpore nostro rationem habemus,
tantam pauperibus & afflictis curam im-
pendere decebat. 4. quia in religionis Chri-
stianæ contumeliam mendicitas illa publi-
ca & vaga cedit: idque eò magis, quod Ju-
dæi hodieque legem istam Dei arcte obser-
vant. 5. quia Deus hoc fine bona hujus vitæ
tam inæquali mensura distribuit, ut aliorum
abundantia aliorum suppleat defectum, &
& aliorum vicissim paupertas in copiosam
aliorum benignitatem redundet, atque sic
æqualitas fiat. 6. reip. & disciplinæ tum Ec-
clesiasticæ, tum politicæ interest, ut mendi-
citas illa vaga & publica coerceatur. Etenim
mendici illi vivunt fermè vitam impiam:
quando nulli subsunt disciplinæ. 7. dum
mendicitas illa publica fertur, Deum quasi
cogimus ut manum suam nobis claudat,
quoniam corda simulatque manus paupe-
bus & afflictis usque adeo claudimus, ut fi-
namus illos hinc inde oberrare.

6. *Quomodo lex illa Dei, qua mendicus in populo suo esse non vult, possit revocari postliminio; & ita verè exerceri eleemosyna homine Christiano digna?* Si observentur

istæ

istæ Maximæ. I. Ex albo mendicantium expungantur viduæ, pupilli, & peregrini, qui opibus sunt instructi; quique habent liberos & propinquos, qui ἀντιπελάργησιν præstare ipsis possunt & debent. II. Validi mendicantes adigantur, ut manuum propriarum labore se alant. III. Si quorum res lautæ ad egestatem inopinatò redigantur per incendia, bella, hostiles incursiones &c. juventur mutuationibus, usuris, fidejussionibus &c. ut se recolligant. IV. Qui verè pauperes sunt, & aliquid adhuc operis facere possunt, laborent: qui verò aut nihil operis facere ipsi possunt, aut si hoc, quod faciunt, ipsis & domesticis ad vitæ sustentationem non sufficiat, illi à mendicitate ista inverecunda vindicari possunt, & absque Ecclesiarum, rerump. & familiarum arrosione sustentari, si quælibet ditio, territorium, civitas, pagus, suos alant pauperes, vel privata singulorum fidelium, vel publica Ecclesiarum beneficentia, vel utraque ratione conjunctim; siqúe certi oppidatim sint eleemosynarii, qui statis temporibus domatim ipsos visitent, necessaria suppeditantes, & in sanctæ simul disciplinæ fræno eos continentes. V. Fiant collectæ & contributiones Ecclesiasticæ, politicæ, & œconomicæ pro pauperibus. *Ecclesiasticæ:*

ut die Dominico colligantur eleemosynæ in publicis congregationibus. *Politica*: ut in conventibus collegiorum, familiarum, tribuum &c. in conviviis, nuptiis, & similibus solennitatibus aliquid conferatur in commune pro pauperibus. *Oeconomica*: ut familia locupletior alat suos propinquos, si sint personæ miserabiles, vel laborent inopia: item divites vicini succurrant suis vicinis pauperibus &c. VI. Pagi, civitates, & ditiones sibi invicem succurrant. Quod si hæc ratio hodie observaretur, certatim fierent eleemosynæ plus quàm regiæ, unde satisfieret pauperibus, & mendicitas illa vaga & publica è medio tolleretur.

7. *Quomodo danda sint eleemosyna*? Ex vera fide, animo hilari, ad sublevandum, imò & refocillandum pauperes.

8. *An etiam pauperibus danda eleemosyna, si constet ipsos esse malos*? Si extrema sit egestas, cogitandum est illud Philosophi, *Non homini, sed humanitati.*

9. *An etiam pauper possit dare eleemosynam*? A. ex *Luc.* 21. 2. Neque enim ad eleemosynas requiruntur Crœsi aut Crassi opes: sed subsidia qualiacunque, putà consilium in rebus adversis, consolatio ex verbo Dei, oratio & intercessio apud Deum &c. Hinc Scholastici sex opera misericordiæ ista enumerant: *Consule, castiga, solare, remit-*

ti,

te, fer, ora. Itaque nemo tam est inops, quin afflictis opem aliquam præstare queat.

CAP. XLVI.

De operibus noni præcepti.

1. *Quid sit veracitas?* Est virtus, quæ animum reddit propensum ad verum, ut quod mens recte judicans affirmavit & probavit, ad id voluntas sancte sit affecta, ut quis id legitimo modo & fine amet, circumspecte & tempestive eloquatur, & pro viribus tueatur.

2. *Quis sit modus perveniendi ad veracitatem?* Si 1. discamus ea solide intelligere, de quibus aliquando frequentius locuturi sumus. 2. non præcipitemus orationem, sed meditato sermoni nos assuefaciamus. 3. non sumamus nobis narrationem de rebus non cognitis, & non necessariis. 4. non pudeat nos fateri ignorantiam. 5. firmiter statuamus, veracitatem esse causam, cur artes retineantur puræ; cur judicia haberi possint, quibus defenduntur corpora; conjugia, & facultates hominum; cur denique amicitiæ, pacta, contractus, & similia ad vitam degendam necessaria, conserventur. 6. persuasum habeamus, studium veracitatis facere, ut Deum discernamus à diabolo, qui est pater mendacii. 7. subinde recitemus illam

orationem sapientis *Prov.*30. *v.*8. & Deus à nobis prohibeat mendacitatem.

3. *An vir bonus interdum dicat mendacium*? Ita est. Fieri enim potest, ut quod falsum in se est, & ab aliis relatum est tanquam verum, nos pro vero habeamus, & aliis tanquam verum communicemus. In hoc itaque casu mendacium dicimus, neque tamen mentimur.

4. *An qui veritatem tempestivè & prudenter celat, mentiri sit putandus*? N. Nam veritatem celare non est dicere falsum animo fallendi.

5. *An vir bonus obligetur semper, ubiq, & coram omnibus, omne verum dicere*? N. Incidit enim casus, ubi pietas & charitas jubent dicere partem veri.

6. *An licitum sit uti aquivocationibus*? Rhetoricè & Logicè licet. Nam ibi antanaclasis, figuræ species, hîc exercitatio attenditur. At verò Ethicè & Theologicè non licet: h.e. in casu conversationis, & causa religionis.

7. *An fides hæreticis sit servanda*? Est servanda in promissis, pactis, & conventis licitis & honestis. Hoc siquidem requirit natura fidei, hoc est, fidelitatis in servandis promissis & conventis. Quare ex eo præcisè, quòd hic est hæreticus, ille bonus Christianus, non minùs huic quàm illi præstandum

standum est, quod promissum conventumque est. verbi gratia, in comitiis Imperii aut regni pactus es in eadem causa cum duobus principibus, altero Christiano bono, altero hæretico; si aliâs legitime pactus es, non minus teneris uni, quàm alteri, fidem servare. Cæterùm hîc non inutiliter distinguitur promissio, quòd sit 1. gratuita seu liberalis; qualis est in donationibus. 2. onerosa; qualis est in contractibus qua publicis, qua privatis. 3. jurata; quæ sive sit gratuita, sive onerosa, hoc amplius habet, quòd juramento confirmetur. Obligatio, qua quis tenetur in promissione gratuita & liberali, oritur ex duplici virtute, nimirum veritatis & fidei. Unde, si non præstat, dupliciter peccat 1. quia mendax est, contra virtutem veritatis. 2. quia perfidus & infidelis est, contra virtutem fidei seu fidelitatis. Deinde obligatio, qua quis tenetur præstare, quod promisit in contractu onerosa, oritur ex triplici virtute, nempe veritatis, fidelitatis, & justitiæ. Unde si non præstat, tripliciter peccat. 1. quia mendax est. 2. quia perfidus seu infidelis. 3. quia injustus. Denique obligatio, qua quis tenetur præstare, quod promisit cum juramento, non solum oritur à virtutibus prædictis, sed etiam à virtute religionis. Unde si promissio fuit gratuita, accedente juramento, tenetur ex triplici

virtute, veritatis, fidelitatis, & religionis, id est, religiositatis: si onerosa, ex quadruplici, veritatis, fidelitatis, justitiæ, & religionis: Et si non servet, est mendax, perfidus, injustus, perjurus. Ex his efficitur, hæreticis servandam esse fidem 1. in promissione gratuita, licita. 2. in contractu legitimo, putà in matrimonio, libertate religionis, salvo conductu, bello. 3. in juramento legitimo.

8. *Quomodo in iudiciis legitimus sit procedendum?* Ut veritati, justitiæ, & prudentiæ detur locus.

CAP. XLVII.

De bonis operibus decimi præcepti.

1. *Quid sit concupiscentia?* Est res hominibus accepta, nec per se improba: sed propter eam inordinationem, qua naturæ rectæ à Deo positæ constitutio turbatur & violatur.

2. *Quinam modus sit servandus in concupiscentia?* Si desideria, quæ secundum naturam sunt, moderemur; quæ contra naturam peccant, penitus abominemur; quæ autem supra naturam, ad Dei gratiam & similitudinem nos evehunt, penitus sectemur. In prima classe est appetitus cibi, potus, rei Venereæ &c. moderatus nempe & ordinatus. In secunda est omnis rei malæ contra

nos

nos & proximum nostrum appetitio, atque etiam rei bonæ mala cupiditas, cum scil. à debito fine & modo discedituR. In tertia classe est vehemens desiderium, ut remissionem peccatorum adipiscamur, & sanctificemur, utque in nobis sanctificatis spiritus concupiscat adversus carnem. Itaque, uno verbo, hoc nobis agendum est, ne caro concupiscat in nobis contra spiritum, sed è contrario, ut Spiritus noster concupiscat contra carnem, ut hæc magis magisque mortificata, ad peccandum non vigeat.

3. *Quinam sit modus evitandi malas concupiscentias?* Si 1. non blandiamur nobis, more Pelagianorum; in naturæ nostræ perversitate, sed agnoscamus & deploremus, animos nostros esse omnium malorum officinas. 2. nos ipsos abnegemus. 3. non obediamus initiis. 4. corpus non fermentemus intemperantiâ, sed sobrii simus. 5. fugiamus occasiones malarum cogitationum & concupiscentiarum: putà obscœnos poëtas, impuros libros, facetias impias, jocos illiberales, picturas pornicas & mœchicas. 6. ad orationem confugiamus. 7. assuefaciamus nos ad æquanimitatem *Phil.* 4. 23.

4. *Quid Deus in nobis probet hoc præcepto?* Ista tria 1. Puritatem cordis, i. e. sanctam ordinationem & moderationem cupiditatum & affectuum. 2. sanctas cogitationes

& motiones Spiritus. 3. luctam adversus pravos appetitus.

Cap. XLVIII.

De sacramentis in genere.

1. AN *sacramenta sint mysteria?* Ita est. Nam significant res arcanas & ignotas illis, qui verbo Dei de significatione & usu illorum non sunt edocti: quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Deinde actio illa visibilis, illorumque sacramentorum usurpatio, foris nos admonet de alia interna Christi, & Spiritus ejus actione, & de mystica unione nostri cum ipso, & participatione beneficiorum ipsius. Itaque sacramenta non dicuntur mysteria, quasi res signata in eis lateat, ut contentum in continente seu latibulo aliquo: & quòd modus perceptionis corporalis sit imperscrutabilis. Nam istiusmodi connexio signi & signati, itemque corporalis perceptio, est merum somnium. Deinde modus nobis est patefactus, quòd sit spiritualis, quodque perceptio fiat fide.

2. *Quomodo profligenda sit tentatio, qua homo pulsatur, ut parvi faciat sacramenta?* Oportet hic considerare 1. sacramentorum authorem, qui est Deus: ipsa nimirum sapientia. 2. illorum antiquitatem; quæ inde ex Paradiso arcessitur. 3. exemplum Christi; qui partim usurpavit, partim instituit sacramenta,

menta. 4. odium diaboli; qui tantopere aversatur sacramenta, ut omni tempore illa multis modis corruperit: ut inprimis videre est in æneo serpente, baptismo, & S. cœna. 5. fines multiplices sacramentorum: qui sunt I. esse monimenta, signa, & sigilla fœderis gratiæ & communionis cum Christo, in fœdere promissæ, atque adeo beneficiorum Dei, tum exhibitorum, tum exhibendorum. II. nos admonere obligationis, qua nos Deo obstrinximus, nos futuros ejus populum: adeoque exercere, augere, & confirmare fidem nostram. III. nos excitare ad recordationem Christi, & gratiarum actionem pro beneficiis redemtionis. IV. esse vincula mutuæ dilectionis & concordiæ in Ecclesia. V. esse nervos publicorum congressuum, & conservationis ministerii Ecclesiastici. VI. esse notas & tesseras professionis. VII. præbere occasionem, tum junioribus inquirendi & discendi beneficia Dei, tum patentibus aliisque ea explicandi.

3. *Quomodo profliganda sit tentatio, qua homo pulsatur, ut proram puppimq; salutis in elementis aspectabilibus collocet, illaque veneretur?* Tria ista sunt inculcanda. 1. Hanc esse puram putam idololatriam. 2. Opinionem istam invehete omnis veræ pietatis, ejusque novæ vitæ, cujus sacramenta nos admonent, neglectum:

dum homines in externorum signorum contemplatione & usu toti acquiescunt, sic statuentes: Perfusus aut tinctus sum aquâ baptismi; circa festum Paschatæ sumsi eucharistiam: Ergo egregius sum Christianus; quidquid aliâs credam, quomodocunque vitam instituam. 3. Homines istos aut ignorare, aut admodum frigide & obiter considerare fœdus Dei: plane ignorare naturam & usum sacramentorum: denique non habere rationem fidei; quid illa sit: quomodo in ea proficiendum: quæ ejus debeat esse energia: cur tamen confirmandæ sacramenta destinata sunt & serviunt.

4. *Cùm Deus Ecclesiam verbo & Spiritu suo regat, ac id sempiterno quasi fœdere sanciverit* Isa. 59. *se illa duo Ecclesiæ suæ nunquam esse subducturum: quid igitur opus sit sacramentorum usu: præsertim, cùm non consentaneum videatur, signa & elementa visibilia ad fidem in cordibus fovendam, & ad ea, quæ ad regnum cælorum pertinent, aliquid conferre: quod si conferant, nobis quoque visibilibus signis & repræsentationibus ad nos erudiendos sit opus, eodem modo inferri posse, imagines in templis retinendas; quod & illa ad repræsentandas res cælestes, & idiotas de tota historia Evangelica commonefaciendos suum usum habeant?* Hîc tria istæ tenean-

teneantur. 1. Magnum est discrimen inter θελοθρησκείας, id est, cultus ab hominibus excogitatos, & eos ritus, quos Deus nobis commendavit. 2. Novit ille conditor noster, quid nobis conducat, & est ita quoque indulgens, ut facilè se ad captum nostrum demittat, nihilque sua majestate indignum putet, quod ad salutem nostram faciat. Novit inprimis imbecillitatem nostram: quàm facilè animis nostris excidant ejus promissiones, & quantopere homines moveant objecta externa. Prævidit etiam quanta foret sub regno Antichristi pompa externa circa religionem: quàm operosus & speciosus cultus idololatricus. Ut igitur populi sui infirmitati subveniret, illumque à peregrinis ac idololatricis cultibus abduceret, ne pro arbitrio suo quidvis sibi deligeret, denique ut in unum & certum veri Dei cultum ille coalesceret: sapientissimo consilio ei ab initio certas præscripsit ceremonias, quibus & detineretur, & tanquam adminiculis, sine ullo idololatriæ periculo, de fœdere Dei per sanguinem mediatoris stabiliendo, deque futuræ Ecclesiæ statu & splendore admoneretur. Huc sacrificia, huc sacramenta tum veterum tum nostra, huc sanctuarium, huc templum, spectarunt. 3. Deus instituendo sacramenta voluit partim confundere sa-

pientiam sapientum hujus seculi, partim ita agere cum suo populo, quomodo in vita civili instituimur, admonemur, & certi reddimur per picturas, arrhas, pignora, monumenta, sigilla &c.

5. *Quomodo sacramenta possint animam iuvare: cùm terrena elementa non possint cor tangere?* Sane si sacramenta nihil nisi terrena elementa essent, procederet conclusio. Verùm in iis præcipue oportet spectare verbum gratiæ, & Spiritus sancti (cujus sunt instrumenta) energiam.

6. *Quomodo conveniant & differant verbum & sacramenta?* Id discere est ex duabus illis similitudinibus; quòd verbum & sacramenta se habeant ut literæ & sigilla; & quod verbum sit instar scripturæ, sacramenta verò sint tanquam picturæ. Quò etiam pertinet distinctio inter verbum audibile & visibile. Conveniunt itaque verbum & sacramenta ipso fundamento, quod est fœdus gratiæ: differunt modo explicationis & applicationis.

7. *An sacramenta prosint absq; fide?* N. Sicut enim verbum non acceptum fide est inanis sonitus: ita sacramentum non acceptum fide, quæ credit id quod ritus significat, est inutilis ceremonia & inane spectaculum. Ideo sacramenta impiis & incredulis non sunt perfecta sacramenta: quia ipsis non

sunt

ſunt ſigilla juſtitiæ. Hoc eſt, quod Paulus ait *Rom.* 2. 25. *Si tranſgreſſor legis, circumciſio tua præputium eſt.* Confer 1. *Cor.* 11. 20. Unde recte Auguſtinus tract 80. ſuper Johan. ſcribit: *Si carnaliter accipis, ſpirituale eſſe non deſinit, ſed tibi non eſt.* Neque tamen ideo ſacramenta infidelibus plane non ſunt ſacramenta. Etſi enim ipſis non ſunt perfecta ſacramenta, id eſt, ſigilla juſtitiæ fidei: tamen ſunt illis ſacramenta imperfecta, id eſt, ſigna Eccleſiæ viſibilis, cujus illi ſunt membra. Atque ſic accipiendum eſt, quod paulò ante dixi, ſacramenta ſine fide juſtificante, eſſe inane ſpectaculum: quatenus videl. nucleus, id eſt, applicatio Chriſti, deeſt.

8. *An ſacramenta proſint ex opere operato, vel ex opere operantis?* Ex opere operato, hoc eſt, naturali aptitudine ac vi externi ipſius operis peracti, etiam ſine fide & interno bono motu utentis: hoc, inquam, modo ſacramentum non prodeſt: quia fides eſt inſtrumentum, medium, & manus, qua accipiuntur res oblatæ à Deo per verbum & ſacramentum, quod eleganter appellatur Evangelium viſibile. Quod attinet ad opus operantis, illud dicitur ambiguè. Aut enim intelligitur devotio externa & meritum utentis, aut viva fides in legitimo uſu. Priori modo non prodeſt opus operantis, ſed poſteriori.

9.

9. *An fides faciat sacramentum?* N. Sicut enim fides non facit verbum Evangelii: ita nec sacramentum. Nimirum fides est organum, cui non debet tribui actio causæ principis.

Quotuplex sit actio in sacramentis? Duplex: externa & interna. *Actio externa* est tum ministri, eaque partim sanctificatio rei terrenæ, partim dispensatio ejusdem; tum fidelis sacramento utentis, ut est perceptio rei terrenæ. *Actio interna* est partim operatio Christi & Spiritus sancti efficacia in cordibus nostris, partim fidei exsertio, quâ fit ut accipiamus rem cœlestem, prævia Spiritus sancti operatione.

11. *Quomodo minister sanctificet rem terrestrem in sacramento?* Destinando illam ad sanctum usum ex mandato Dei. Ideo ait Augustinus: *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.*

12. *Qualis sit unio sacramentalis?* Non est physica, aut localis: sed mystica. Proinde est spiritualis conjunctio signi & signati, id est, rei terrenæ cum cœlesti, & actionis externæ cum actione internâ. Est, inquam, pactionalis, nitens promissione Dei & fide hominis electi, seu applicatione gemina, una ex parte Dei, altera ex parte credentis. Porrò unionis istius sacramentalis duæ sunt partes: videl. unio rei terrestris cum re cœlesti,

sti, & conjunctio actionis externæ cum actione internâ. Nam in legitimo usu hæc conjunguntur.

13. *An oblatio & perceptio Christi in verbo & sacramentis differat reipsâ?* N. Nam utrobique est eadem res, nempe Christus cum suis beneficiis. Nihil aliud in sacramentis nobis proponitur, offertur, & datur, quam in Evangelio promittitur & annuntiatur.

14. *An oblatio & perceptio Christi in verbo & sacramentis differat modo?* N. Nam utrobique est perceptio spiritualis: & talis quoque oblatio. Ita nec differt ista perceptio instrumento perceptionis. Hoc enim utrobique est fides. Quomodo igitur differt perceptio Christi in verbo & sacramentis? Externa tantum formâ. Nam in verbo est prædicatio Christi & applicatio generalis: in sacramentis est depictio Christi; & applicatio specialissima.

15. *An signa sacramentalia revera suscipiant aliquam mutationem?* Sic est. Mutantur enim ratione usus, officii, & vocationis.

16. *An signa sacramentalia honore aliquo sint affeienda?* Ita est. Oportet enim res invisibiles honorare in signis visibilibus.

17. *Quomodo nos præparare debeamus ad salutarem usum sacramentorum?* Tria ista sunt opus. 1. Accurata meditatio fœderis gratiæ.

gratiæ, itemque naturæ & usus sacramentorum. 2. Captivatio rationis in obsequium fidei. 3. Devotio, quam excitant consideratio præsentiæ SS. Trinitatis & Angelorum in celebratione sacramentorum; & meditatio passionis Christi.

CAP. XLIX.

De sacramentis V.T.

1. *Quomodo conveniant & differant sacramenta V. & N.T?* Conveniunt & partia sunt significatione, & re significata: quia eandem rem signatam utraque significant & obsignant, nempe Christum cum omnibus beneficiis. Differunt 1. signis sacramentalibus. 2. modo significandi. nam vetera sacramenta Christum exhibendum significabant: nova exhibitum significant. 3. amplitudine Ecclesiæ, cui administrantur. 4. claritate. 5. gradu efficaciæ, quæ major est in N.T. 6. duratione. 7. facilitate.

2. *An sacramenta V.T. fuerint figura sacramentorum N.T?* Minime. Nam sic fuissent signa rerum, quæ Patribus neque cognitæ, neque à Deo datæ fuissent. Deinde hac ratione alia fuisset res significata veterum sacramentorum, alia novorum. Nam veterum res significata fuissent nova sacramenta: novorum autem Christus cum suis beneficiis.

3. *An circumcisio & Pascha habeant aliquem usum in N. T?* Habent. Nam circumcisio veterum nobis in memoriam redigere debet circumcisionem cordis nostri, hoc est, repurgationem animæ à peccatis *Rom.* 4. Similiter agnus paschalis manu nos ducet ad Christum, qui est nostrum Pascha. 1. *Cor.* 5.

4. *An quia Christus est circumcisus & baptizatus, nos quoq; duo illa sacramenta debeamus coniungere?* N. Nam Christus circumcisus est, quia erat filius Abrahæ; hoc fine, ut circumcisionem veterum in seipso sanctificaret, & ut nos in ipso circumcisi censeremur. Proinde Christus sanctificavit in se circumcisionem tum externam, tum internam. *Col.* 2. 11. *Phil.* 3. 3. Idem baptizatus est 1. ut nobis commendaret baptismum. 2. ut in seipso sanctificaret baptismum nostrum. 3. ut hoc modo initiaretur in munus suum.

5. *Annon baptismus nubis & mare in V. T. fuerit figura nostri baptismi; & similiter cœna manna & aqua ex petra profluentis, figura eucharistiæ?* Similitudo aliqua hîc cernitur. Sed ideo non sequitur, hæc per illa fuisse figurata. Vide paulò antè *quæst.* 2.

CAP.

Cap. L.

De baptismo.

1. AN *Johannes Baptista baptismum instituerit*? N. Nam Deus instituit per Johannem. *Ioh.* 1. 6. *Matth.* 21. 25. Deinde Christus ampliavit ipsius usum. *Matth.* 28.

2. *An mulieribus & viris laicis liceat baptizare*? Non licet. Nam baptismus est pars publicæ functionis pastorum.

3. *Si hæretici, retinentes formam baptismi, sunt idonei administri baptismi, annon multo magis boni Christiani, quantumvis laici*? N. Nam hæretici, qui administrant baptismum legitime, sunt rite vocati ad munus Ecclesiasticum.

4. *Quare Deus aquam adhiberi voluerit in baptismo*? Sapientia ejus cernitur in eo, quod pulcherrima est analogia inter aquam & sanguinem Spiritumque Christi: clementia in eo, quod signum paratu facillimum ordinavit.

5. *Liceatne in baptismo alium liquorem loco aquæ adhibere*? Si qua necessitas objiceretur, ut aqua deesset, alius liquor, ut aqua stillatitia ex herbis; aut vinum; aut aliquid simile sustinere posset rationem aquæ vulgaris. Sed hæc disputare non est opus: cum ubique terrarum aqua haberi possit.

6. *Quæ sit res cœlestis in baptismo*? Sanguis

guis & Spiritus Christi; quæ duo respondent aquæ; item ablutio per sanguinem & Spiritum Christi; quæ respondet aspersioni vel mersioni. Ablutio per sanguinem Christi; est justificatio *Marc.* 1. 4. Ablutio per Spiritum Christi, est sanctificatio 1. *Cor.* 6. 11.

7. *An duo sint baptismi, internus & externus, ille aqua, hic Spiritus sancti?* Non sunt duo baptismi, id est, duo sacramenta. Unus enim est baptismus, qui est sacramentum specie unum *Eph.* 4 5. Rursus duo sunt baptismi, hoc est, duæ actiones, quæ constituunt unum baptismum in legitimo usu. *Matth.* 3. 11.

8. *An baptismus internus fiat per externum?* Etiam; sed liberè operante Dei Spiritu, & se organis istis non allegante, quibus tamen nos vult alligatos.

9. *An omnes qui baptizantur, accipiant remissionem peccatorum?* N. Nam oportet ut baptismus internus conjungatur cum externo; quod fit per veram fidem.

10. *An verè sit baptismus, cùm non sumitur legitimè?* Qui avellit baptismum à verbo & recto usu, is non habet sacramentum perfectum. Quod inde patet. Fines baptismi principales sunt 1. ut nobis obsignet susceptionem in fœdus gratiæ, & communionem cum Christo & Ecclesia. Ideo baptismus

smus ab Augustino appellatur *character regius*, & *character Imperatoris nostri*. 2. ut nobis per ablutionem externam repræsentet & confirmet internam mundationem animarum in justificatione & sanctificatione fitam. 3. ut nos admoneat de resipiscentia. 4. ut eo obsignemur in certam spem resurrectionis gloriosæ. Horum verò nihil pertinet ad illos, qui baptismum sumunt illegitime. Interim tamen illi sumunt aliquatenus sacramentum: videl. sacramentum communionis externæ cum Ecclesia visibili. Hæc vero sumtio non est legitima: quia divellit ea, quæ debebant conjungi.

11. *An infantes Christianorum sint baptizandi?* Omnino. Nam quo jure nititur baptismus Christianorum adultorum, eodem nititur pædobaptismus, seu baptismus Christianorum infantum. Nimirum quicunque sunt fœderati Dei, ad illos pertinet sacramentum fœderationis, seu insitionis in fœdus.

12. *An in baptismo electorum abluatur & aboleatur peccatum originale?* Aboletur quantum ad reatum, hoc est, culpam & pœnam; remanente ipso vitio & morbo, hoc est, prava concupiscentia & inclinatione ad malum: idque eo fine, ut per totam vitam pugnemus cum peccato & diabolo peccati autore & fautore, dominum interea jugiter implorantes, & eidem perseveranter adhærentes.

13. *An quia subinde peccamus, necesse sit baptismum subinde iterare?* N. Nam quia semel tantum renascimur, semel tantum accipimus sacramentum regenerationis. Hinc ut circumcisio erat nativitas Judaismi: sic baptismus est nativitas Christianismi. Quamvis autem semel duntaxat baptizemur: est tamen baptismus nobis perpetuum sacramentum regenerationis nostræ, h. e. ablutionis à peccatis omnibus, originali & actualibus, præteritis, præsentibus & futuris. Qui enim baptizantur, in Christi mortem baptizantur. Mors autem Christi valet ad omnia peccata abluenda.

14. *An à Christo sit præscripta certa formula baptismi?* Formulam fundamentalem habemus in institutione. Ad plura itaque certa verba in ipsa administratione recitanda non sumus astricti. Possumus tamen Agendam, ut vocant Ecclesiasticam adhibere: dummodo retineamus istud, quod diximus, fundamentũ, h. e. si baptizemus in nomen SS. Trinitatis, vel in nomẽ Christi. Nã invocatio Christi est etiam invocatio SS. Trinitatis.

15. *Quid sit in nomen Dei baptizari?* Non tantum baptizari ex Dei jussu & ordinatione, seu ipsius authoritate: sed etiam in ejus cultum, fidem & obsequium. Itaque in baptismo præstamus Deo velut homagium, seu juramentum fidelitatis.

16. An

16. *An rectè in baptismo nomina imponantur initiatis?* Ita est. Nam hoc factum est in circumcisione *Luc.* 2. 21. in cujus locum successit baptismus. Deinde nomina in baptismo imposita, sunt veluti parva Evangelia, quæ nos piè commonefaciunt de fœdere Dei, adeoque de ipsius beneficiis & nostro officio.

17. *An liberi Christianorum sint sancti ante baptismum?* Sunt sancti, id est, Christiani. 1. *Cor.* 7. 14. Non sunt sancti, id est, absque peccato.

14. *An baptismus sit necessarius ad salutem?* Est necessarius, quatenus est organum à Deo præceptum, quo nos de salute nostra instituit. Non autem hoc sensu est necessarius, quasi nemo sine baptismo servari queat.

15. *Quid statuendum sit de ceremoniis circa baptismum?* Tres sunt illarum classes. 1. sunt ceremoniæ necessariæ, divinitus institutæ: ut sanctificatio aquæ, & ablutio externa. 2. sunt ceremoniæ adiaphoræ & boni ordinis: ut immersio vel aspersio, eaque una vel trina: Sponsio quæ fit per susceptores &c. 3. sunt ceremoniæ adulterinæ: ut exorcismus, sputum, oleum, sal, interrogatio ad infantes &c.

16. *An baptismus imprimat characterem indelebilem?* Negatur de charactere, qui sit qualitas animæ inhærens. Alias bapti-

simus verè est character fœderis gratuiti.

17. *An liceat campanas baptizare?* N. Nam baptismus pertinet ad eos, quibus intercedit fœdus cum Deo.

18. *An nondum nati, sint baptizandi in utero?* N. Nam baptismus administrari debet iis, qui jam versantur in gremio Ecclesiæ.

19. *An infantes ij sint baptizandi, quorum parentes à Christiana religione defecerunt, si, istis mortuis, propinqui aut alij Christiani baptismum pro iis petant?* A. Nam promissio Dei evacuatur per apostasiam parentum.

20. *An infantes expositiij, sint baptizandi?* Si sint Christiani, & suscipiantur à Christianis, in Christiana religione informandi: merito baptizantur.

21. *An orthodoxi parentes possint liberos suos offerre baptizandos iis, à quibus ipsorum religio damnatur?* Possunt, si nulla ratione liceat ipsis habere orthodoxum ministrum. Deinde oportet uti hac protestatione, quod falsam doctrinam hoc suo facto minimè approbent.

22. *An orthodoxi possint fungi officio susceptorum apud heterodoxos?* Possunt, si utantur hac protestatione, quod non approbent falsam doctrinam.

22. *Quid agendum, si quis dubitet, an in*

infantia sit baptizatus, neque ex ullo teste ea de re certior fieri possit? Hujus conscientiæ succurrendum est, ut baptizetur. Nec enim consolatio certa ex incerta opinione peti potest. Neque vero ille turbabitur, si postea intelligat, se olim baptizatum fuisse: quippe cum ex simplici obedientia erga Deum susceperit baptismum, cum opinaretur, se non esse baptizatum.

23. *An sint iterum baptizandi, qui à laicis & mulieribus fuerunt tincti?* Illi nunquam fuerunt baptizati. Ergo non rebaptizantur, sed recte demum baptizantur.

24. *An illi denuò sint baptizandi, qui ab hæreticis ministris sunt baptizati?* Si recte sunt baptizati, non sunt rebaptizandi. Vide paulò antè *quæst.* 3.

25. *An baptismus conditionalis sit probandus?* N. Nam conditio illa non sistit conscientiam in tuto. Verbi gratiâ: Si non es baptizatus, ego te baptizo.

26. *An baptismus sit magis necessarius ad salutem, quàm sacra cœna?* N. Nam omnia sacramenta sunt æquè necessaria ex hypothesi mandati Dei & medii: quia eandem salutem æquè firmiter obsignant. Interim in singulis sacramentis est aliquid speciale. Exempli gratia, baptismus est sacramentum generationis spiritualis; eucharistia, nutritionis spiritualis.

CAP. LI.

De sacra cœna.

1. AN *sacra cœna verè sit convivium?* Ita est. Nam cœna hæc est sacramentum, in quo panis & vini distributione & sumtione nobis verè credentibus significatur & obsignatur, animas nostras corpore & sanguine Christi ad veram & beatam immortalitatem nutriri. Ergo ad convivium Christi accedit, & Christi est conviva, qui de hac cœna edit & bibit.

2. *Quomodo sacra cœna retineat analogiam agni Paschalis?* Quatenus vtrumque est sacramentum nutritionis & educationis spiritualis. Deinde quemadmodum manducatio agni Paschalis repetebatur: ita etiam vsurpatio sacræ cœnæ est iteranda. Vt enim Pascha erat educatio Judaismi: ita cœna Domini est educatio Christianismi.

3. *Quomodo sacra cœna sit sacramentum corporis Christi?* Principio non est sacramentum corporis Christi vivi, aut glorioſi, sed passi, crucifixi, & mactati pro nobis. Deinde dupliciter est sacramentum corporis Christi pro nobis in mortem traditi. 1. Dum est signum visibile, memoriale, figura, typus, symbolum, & imago, in memoriam reducens & nobis repræsentans cor-

pus Christi; ut quemadmodum oculis corporis panem Domini videmus, ita oculis animæ corpus Christi in cruce pendens intueamur, non secus ac si cruci ipsimet adstaremus. 2. dum est sigillum, fidei nostræ obsignans, certò & vere Christi corpus pro nobis in mortem traditum esse, & nobis esse panem vitæ. Ideo fideles ad sacram cœnam accedentes, cùm intuentur panem sacramentalem oculis corporis, admonentur, ut simul intueantur & complectantur oculis fidei corpus Christi pro nobis crucifixum. Ideo enim panis habet nomen corporis Christi, ne fideles hæreant in pane, sed fide se attollant in cœlum, sicut canit Ecclesia, *Sursum corda.*

4. *An panis suscipiat aliquam mutationem?* Affirmatur de mutatione sacramentali finis: quâ fit, ut panis ille non amplius communi, sed sacro fini & usui serviat.

5. *An sacra cœna impiis sit sacramentum?* Est, & non est. Ratio prioris est; quia inter alios usus sacræ cœnæ etiam hic est, ut sit nota professionis. Ratio posterioris est; quia infidelibus non est sacramentum nutritionis ad vitam æternam. Hîc repetere oportet, quæ supra diximus de ratione sacramenti perfecta & imperfecta.

6. *Cur in sacra cœna non solum panis, sed*

sed etiam vinum sit institutum à Christo? Duæ sunt hujus rei causæ. 1. ut almus ille noster Doctor significaret, sicut vinum hoc à pane distinctum videmus, ita in cruce sanguinem suum à corpore suo nostra causâ separatum fuisse. 2. ut doceret & confirmaret nobis, sicut non solùm pane, sed etiam potu vivimus, ita nos in ipso non solum cibum, sed etiam potum, id est, non unam tantum salutis nostræ & vitæ æternæ causam ac partem, sed quidquid omnino ad eam requiritur, perfecte & integre invenire.

7. *Quid statuendum sit de ceremoniis eucharistiæ sacræ?* Tres sunt illarum classes. 1. sunt ceremoniæ necessariæ, utpote divinitus institutæ. Ejusmodi sunt sanctificatio panis & vini, illarumque administratio, fractio panis, effusio vini, & utriusque distributio & acceptio. 2. sunt ceremoniæ adiaphoræ & boni ordinis: ut sumptio jejuna, genuflexio inter sumendum, usurpatio panis azymi vel fermentati, itemque vini meraci vel diluti, albi vel rubri &c. 3. sunt ceremoniæ adulterinæ: ut ingestio panis in os, elevatio symbolorum, illorum asservatio & circumgestatio &c.

8. *Quomodo sumantur panis & vinum, itemq; corpus & sanguis Christi?* Panis & vinū sumuntur manu & ore corporis ab externo

homine, à credentibus & incredulis, foris digne vel indigne, denique corporaliter. Corpus & sanguis Christi sumuntur manu & ore animę, hoc est, vera fide à solo homine interno, & proinde à credentibus tantum, intus tantum, digne tantum, denique spiritualiter tãtum, non vero etiam corporaliter. Interim cum spirituali illa manducatione & bibitione conjuncta est manducatio & bibitio sacramentalis.

9. *An corpus & sanguis Christi revera adsint in sacra cœna?* A. Nam in cœna hac est vnio sacramentalis, sive pactionalis, primo rerum terrenarum cum bonis cœlestibus. Deinde actionis externæ cum actione interna. Utræq; igitur res adsunt in sacra cœna: panis & vinum corporaliter & sensibiliter; corpus & sanguis Christi spiritualiter, hoc est, mediante spiritu ejus in nobis habitante. Etsi enim corpus & sanguis Christi absunt nobis loco: tamen præsentissima nobis sunt vnione nostri cum Christo, per habitantem in eo & in nobis spiritum ipsius. Non igitur tantum panis & vinum, nec tantum Deitas Christi, nec tantum Christi virtus & efficacia in cœna est præsens: sed etiam ipsum corpus, & ipse sanguis Christi revera adsunt. Nam cœna hæc non esset Domini cœna, si corpus & sanguis Christi non adessent.

adesſent. Alioqui quomodo fieret communicatio corporis & ſanguinis Chriſti ſi abeſſent? Communicatio enim non eſt abſentium, ſed præſentium. Adſunt autem non incluſa vel abſcondita inviſibiliter, in, cum, & ſub pane & vino: ſed adſunt oblata & exhibita in adjuncta promiſſione. Adſunt homini credenti, non pani & vino: quia homini credenti facta eſt promiſſio. Adſunt per ſpiritum ſanctum & fidem, non per contactum corporalem: quia per Spiritum ſanctum & fidem habitat Chriſtus in cordibus noſtris 1. *Iohan.* 3. 24. *Epheſ.* 3. 17. Adſunt non delapſa vel detracta de cœlo in hæc terrena elementa: ſed adſunt noſtræ menti per Spiritum ſanctum & fidem ſublatæ in cœlum, & ibi in cœleſti mēſa corpore & ſanguine Chriſti potienti & fruenti; ut habet canon concilii Niceni. Hinc Irenæus dicit, panem eſſe euchariſtiam ex duabus rebus conſtantem, terrena & cœleſti.

10. *An fides noſtra efficiat ſacramentum euchariſtiæ?* N. Neque enim fides noſtra efficit præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti: ſed ipſe Chriſtus ſuo Spiritu facit, vt corpus & ſanguis ipſius nobis adſint ſpiritualiter, quatenus nimirum efficaciter objiciuntur mentibus credentium. Uno verbo, corpus & ſanguis Chriſti adſunt in verbo promiſſionis. Fides autem

accipit sibique applicat promissa ista bona cœlestia.

11. *Annon sit contradictio, dicere, corpus & sanguinem Christi revera adesse in sacra cœna, & nihilominus mentes nostras per Spiritum sanctum & fidem sublevari in cœlum, ut ibi potiantur & fruantur corpore & sanguine Christi in mensa cœlesti?* Non est. Nam in legitimo usu sacræ cœnæ, qui fit per fidem, ita conjungitur exhibitio & perceptio panis & vini cum exhibitione & perceptione corporis & sanguinis Christi, ut Spiritus noster revera nutriatur Spiritu Christi. Itaque & nos fide nostra sublevamur in cœlum: & Spiritus Christi nobis adest in his terris.

12. *An ad sacram cœnam admitti debeant homines, qui in apertis scandalis vivunt?* N. Est enim admissio ad sacram cœnam quædam absolutio: quæ ex præscripto Dei pertinet ad credentes & pœnitentes.

13. *Quales eos esse oporteat, qui ad sacram cœnam iure admitti possint?* Qui Christianum in modum baptizati, se ut Christianos gerunt, aut gesturos pollicentur, & se probare queunt, idque faciunt, ex Apostoli admonitione: illi soli admittendi sunt.

14. *Qualis debeat esse præparatio hominis fidelis, ante usum cœnæ?* Debet esse duplex:

plex: interna & externa. *Præparatio interna* consistit in probatione suiipsius, seu exploratione dignitatis vel indignitatis suæ. Dignitas autem illa & indignitas est alia personæ, alia tractationis. *Dignitas personæ* est fides, seu per fidem imputata justitia Christi. Quam quicunque habent, digni sunt convivæ, & sumunt hanc escam ad salutem æternam. *Indignitas personæ* est infidelitas, qua qui laborant, indigni sunt hac mensa, & sumunt sibi ad judicium & damnationem æternam. *Dignitas tractationis* est vera reverentia (interna nempe & externa) ignoscentia, dilectio, seria peccatorum deploratio & resipiscentia, meditatio beneficiorum Christi, discretio corporis Domini, gratiarum actio, & vitatio scandalorum omnium. Eaque locum habet in solis fidelibus. *Indignitas tractationis* est irreverentia, seu irreligiosa tractatio cœnæ Dominicæ. Ea est duplex: alia in impiis, alia in piis. *Indignitas tractationis in impiis* est privatio & absentia veræ reverentiæ (internæ & externæ) ignoscentiæ, & similium, de quibus diximus ad dignitatem tractationis. *Indignitas tractationis in piis* est negligentia, & frigidior sensus in exploratione sui. Etsi enim pii revera edunt panem Domini & panem Dominum, ut loquitur Augustinus, ac proinde edunt ad salutem æternam,

immunes à judicio æterno: tamen irreverenter accedentes ad mensam Domini, hoc est, negligentius & frigidius se explorantes, edunt sibi judicium temporale, hoc est, offendunt Deum, & ab illo castigantur duriter in hac vita. 1. *Corinth.* 11. *vers.* 30. 31. 32. Hujus indignitatis est quidem aliquid in omnibus fidelibus, sed in aliis plus, in aliis minus: & habentibus studium eam vitandi, & retinendi bonam conscientiam, condonatur propter Christum. Ideoque requiritur exploratio utriusque dignitatis: ut non solum æternam, sed etiam temporariam Dei iram & pœnam effugiamus. 1. *Corinth.* 11. 28. Ista vero exploratio, seu *probatio sui ipsius*, duabus rebus constat: primo an sis in fide, ita ut non solum intelligas articulos fidei, promissionem Euangelii, & doctrinam de sacramentis, sed etiam tibi applices promissionem Euangelii. Hic Lydius lapis est Symbolum Apostolicum: Altera probationis pars versatur in explorandavita. Hic Lydius lapis est Decalogus. Hic itaque est explorandum qualis fuerit vita tua, quam à lege Dei aliena, qualis debeat esse: an præstiteris, quæ Deo in baptismo promisisti, an Deum supra omnia diligas, & proximum sicut te ipsum: an facias & deinceps facturus sis, quæ Deus præcepit, & fugias atque fugiturus sis: an habeas fir-

mam

mum propositum emendandi vitam, instituendi eam secundum verbum Dei. Si qui talem inclinationem sentiunt, hortandi, ut ad sacram cœnam eant. Reliqui, qui neque intelligunt doctrinam Euangelii & sacramentorum, nec cupiunt vitam emendare, dehortandi, ne adeant ad sacram cœnam, ne sibi ipsis judicium manducent.

15. *An recte in adultam ætatem sacræ cœnæ usus differatur?* Cum primum homo Deum & servatorem suum agnoscit, & se mediocriter probare potest; obligatus est ad frequentem sacræ cœnæ vsum.

16. *An ad vespertinum tempus in sacræ cœnæ celebranda adstringamur?* Non sane. Nam ea circumstantia temporis ad Pascha pertinet: cujus celebrationi Christus adjunxit celebrationem sacræ cœnæ.

17. *Quod tempus commodissimum sit ad sacram cœnam sumendam?* Etsi nullum tempus per se est inhabile hanc ad rem: commodissimum tamen nobis est antemeridianum in solemnioribus convētibus Ecclesiæ.

18. *An quotidie possit sumi eucharistia?* Si absit opinio operis operati, & superstitio, nihil prohibet, quo minus hoc fiat.

19. *An sacra cœna dispensanda sit ad altaria?* In Novo Testamento non habemus altare proprie dictum: quia sacrificium Christi omnibus hostiis finem imposuit, Vbi ve-

ro non est sacrificium, ibi nec altare. Non tamen certam mensæ formam superstitiose urgemus, nec etiam materiam; si doctrina pura sit.

20. *An hostiæ, quas vocant, sint veræ panis?* N. quia non sunt alimentum communissimum, è farina sufficiente, vi ignis coctum. Sunt tamen panis imitatitius, qui non est idoneus ad sacramenti usum: tum quia est inusitatus; tum quia non est alimentarius, quippe ob viscosum lentorem non conveniens ventriculo; tum denique quia non est aptus ad fractionem.

21. *Quinam sit aptissimus panis ad Eucharistiam?* Qui ex usitatiore sit frumento. Ubi vero frumentum non est, satis fuerit, panem esse alimentarium & usualem, undecunque factus sit: modo spiritualis nutritionis similitudinem sustinere possit. Hinc etiam Brasilienſium panis, qui fit ex contusis aridis radicibus, eum ad finem idoneus est.

22. *An sacra cœna dici queat celebrari, ubi hostia est in usu?* Si doctrina de sacramentis mediocriter sit ibi pura, sacra synaxis utique ibidem est.

23. *Quid factu sit opus, si Ecclesia Dei colligenda sit, ubi vinum prorsus haberi nequit?* Usitatus potus, eo in loco nobilior, ex fine Servatoris est substituendus; & cœtus monendus, ne offendatur.

24. An

14. *An sacra cœna dici queat celebrari, ubi non adhibetur fractio panis?* Affirmatur: si doctrina de sacramentis utcunque sit pura. Etsi enim fractio panis est necessaria in eucharistiâ: non tamen ubi fractio abest, plane sacra cœna esse desinit.

25. *An fusio vini sit necessaria?* Ita est. Nam Dominus sanguinis sui fusionem hoc ritu mystico voluit repræsentare.

26. *An sacra cœna sine verbo peragi possit?* N Neque enim est muta actio.

27. *An symbola in sacra cœna aliter sint accipienda quàm manu?* N. Oportet enim ut duo isti ritus, accipere & edere, itemque accipere & bibere, maneant distincti, ut morem à Christo ostensum retineamus, & sacramenti evidentiam non imminuamus: quia Christum accipimus manu fidei, & edimus atque bibimus ore fidei.

28. *An aliquis bona conscientia possit accedere ad Missam Papisticam?* Spectare licet; communicare non item: quia est idololatria.

CAP. LII.

De quatuor novissimis.

1. *De morte.*

1. *QVid opponere debeamus horrori mortis temporalis?* Mortem Christi, & mortis

temporalis utilitatem à morte Christi pendentem. Nam Christus morte sua ademit spiculum morti, & illam commutavit in placidissimum somnum, abolitionem peccati, & januam vitæ æternæ.

2. *Quid opponere debeamus metui judicii, tum particularis, tum universalis?* Ita duo, personam judicis, qui est Christus, frater & redemtor noster: & judicii lætam catastrophen. Nam qui credit in Christum, non venit in judicium condemnationis, *Ioah.* 3.

3. *Quanam sit optima ars moriendi?* Ea constat duabus partibus: videlicet recta præparatione ad mortem, & bona constitutione in morte. *Recta præparatio* est vel ante mortem, vel vicina jam morte. *Præparatio ante mortem* absolvitur meditatione causarum, naturæ, & remedii mortis. Causæ mortis sunt Deus, diabolus, & homo. Natura mortis per se est, esse terrificam: per accidens, esse credentibus amabilem. Remedium mortis est primarium, mors Christi: vel secundarium, mors Adami veteris in nobis, de qua eleganter dicitur, **Wer da stirbt/ ehe er stirbt/ der stirbt nicht/ wann er stirbt.** De hac veteris hominis morte sunt istæ maximæ. Qui bene cupit mori, 1. bene vivat. 2. quotidie moriatur mundo. 3. studeat inprimis orationi, eleemosynæ, & jejunio. 4. sancte meditetur suum baptismum. 5. rite &

sæpe

ſæpe uſurpet ſacram cœnam. 6. pœnitentiam agat ſingulis momentis. 7. diligenter cuſtodiat quinque portas ſenſuum. 8. ſedulo legat & ruminetur ſcripturam. 9. frequenter meditetur mortem. 10. ſæpe, diu, & attente cogitet ultimum judicium, paradiſi gaudia, & cruciatus gehennæ. 11. meditetur brevitatem hujus vitæ. *Præparatio vicina jam morte* ſit vel in morbo lethali, vel tempore martyrii, vel in ſupplicio ob crimen irrogando, vel denique devexa jam ætate. Conſiſtit autem hæc præparatio in his tribus: videlicet in cura animæ, corporis, & proximi. Cura animæ ſpectat reconciliationem cum Deo, & profligationem tentationum. Quæ duo perficiuntur opera tam noſtra, tum paſtorum & aliorum Chriſtianorum. Cura corporis conſiſtit in uſu medicamentorum legitimo. Cura proximi cernitur in reconciliatione cum ipſo, & teſtamenti factione. *Bona conſtitutio in morte* abſolvitur fide in Chriſtum, gemitibus ad Deum, deſiderio vitæ æternæ, & depoſitione animæ.

4. *Quale judicium ſit ferendum de morte cum horribilibus morientium geſtibus conjuncta: item de morte ſubita & violenta?* Qui bene vixit, non poteſt male mori. Itaque non tam mortem horribilem & ſubitam, quam vitam anteactam oportet inſpicere.

5. *An liceat sibi vel aliis optare, aut imprecari mortem?* Morte Pauli licet *Phil.* 1. ex verâ nempe fide. Non licet ex impatientiâ & invidiâ.

2. *De ultimo judicio: ubi de fine seculi, resurrectione carnis, & adventu Christi ultimo.*

1. *An mundus hic habiturus tandem sit finem?* Affirmativam probat Scriptura *Psalm.* 102. *Matth.* 5. & 2. *Petr.* 3. Ethnici quoque nonnulla hanc in sententiam tradiderunt.

2. *An sciri à nobis possit, quando futurus sit finis seculi?* Non potest. *Matth.* 24. Interim tamen probabiliter colligi potest, finem seculi nonnisi post annum Christi 2694. fore. Hoc ita patet. Daniel docet *cap.* 12. à jugis sacrificii, hoc est, sacrificiorum omnium Mosaicorum oblatione, id est, ab anno Christi 69, usque ad ultimum Christi adventum intercedere annos 1290. & 1335. Qui in unam summam collecti, efficiunt annos 2694. Neque tamen hinc sequitur, diem, mensem, annum, quo Dominus rediturus est, certâ scientiâ à nobis cognosci. Nam post annum Christi 2694. atque adeo elapsis mille istis annis *Apocal* 20.

accidet bellum Gogico-Magogicum, de quo *Apocal.* 20. cui finem imponet illustris ille adventus Domini. Jam verò non constat, quàm diu bellum istud sit duraturum.

3. *An rectè faciant, qui numeros illos prophetticos indagant & explicant?* Si hoc fiat in timore Domini, merito laudatur ista diligentia. Nam præ foribus videtur esse illud seculum, quo arcana Scripturarum magis magisque innotescent.

4. *An liceat indagare tempus, ut sciamus quando futurus sit finis seculi?* Non licet. Nam si Deus non vult ut sciatur: igitur contra voluntatem Dei facit, qui studet & indagat, ut illud certo sciat. Neque vero nos indagamus, illud tempus, quando asserimus, finem seculi non fore ante annum Christi 2694. Neque enim definimus certum tempus: sed probabiliter dicimus, post illud tempus, tale quid futurum.

5. *Quanam signa sint præcessura ultimum Christi adventum?* Duo sunt genera horum signorum. Nam quædam è longinquo finem seculi præcedent, quædam erunt magis vicina. Ibi est prædicatio Evangelii per universum orbem, conversio Judæorum &c. hìc est bellum Gogicum, obscuratio solis, stellarum casus &c.

6. Qui

6. *Qui conveniat illud, quod scribit Apostolus*, Roman. 11. *de conversione Iudaeorum, cum illo* Luc. 18. *Cum veniet filius hominis, putas inveniet fidem in terra? Si enim tunc modica fides reperietur in terra, quomodo igitur Iudaei convertentur ad Christum?* Conciliatio teneatur ista. Judæi convertentur ante initium mille annorum, de quibus *Apocal.* 20. & simul è medio tolletur Antichristus. Sed circa finem illorum annorum ita se recolliget, ut summus ille & novissimus Antichristus, qui sub finem seculi venturus est, reliquos omnes hypocrisi, astutia, potentia, & artibus diabolicis sit superaturus. In eo enim habitabit omnis plenitudo diaboli, sicut in Christo habitat plenitudo Deitatis corporaliter. Hic itaque Antichristus novissimus omnia subvertet per bellum Gogico-Magogicum, & omnes, exceptis paucis electis, seducet. Hoc igitur modo, cum venerit filius hominis, parum fidei reperietur in terra.

7. *Cur Dominus tam diu differat suum adventum?* Qui vult, ut Judæi & Gentes convertantur, & Ecclesia in his terris aliqua habeat halcyonia, inde à confectione prima Antichristi, usque ad bellum Gogicum. *Apocal.* 20.

8. *Quomodo doctrina de resurrectione carnis sit proponenda, ut conscientia satisfiat?*

ſint? Principio omnipotentia, juſtitia, & veracitas Dei eſt ob oculos ponenda. Deinde varia Scripturæ dicta ſunt ruminanda. Tertio praxis Legis & Euangelii eſt urgenda. Quarto varii typi in rebus naturalibus & artificialibus obvii, ſunt explicandi: Exempli gratia, natura hyemis & veris, conditio grani quod ſeritur, ars ſpagirica, ſeparatio metallorum quæ fit vi ignis, modus conflandi vitrum, &c. Ad extremum conſcientia eſt examinanda, & velut interroganda, annon ſit rationi conſentaneum, ut corpora noſtra tandem aliquando excitentur, & cum animabus conjungantur.

9. *Quomodo conveniat juſtitia Dei, ut vivis judicet hominem, videlicet paulo poſt mortem, & in fine ſeculi*? Judicium particulare & privatum non tollit judicium univerſale & ſolemne, ſed eſt illius prodromus.

3. *De vita æterna.*

1. *Quomodo variis dubiis in hoc loco poſſit ſatisfieri*? Si primo cogitemus, corpora noſtra non fore animalia, ſed ſpiritualia, & longe ſuperatura conditionem corporum cœleſtium. Deinde ſi meditemur naturam Angelorum, quibus nos erimus ſimiles. Denique, ſi cogitemus, Deum ibi fore omnia in omnibus. Quam ad rem pluri-

plurimum conducit, si ex intima philosophia repetamus, quomodo Deus sit omnia, & quomodo ille tanquam causa universalis possit supplere defectum omnium causarum secundarum.

2. *Annon corpora nostra desinant esse corpora, si fiant spiritualia?* N. Rectè siquidem Augustinus ad Crescentium: *Sicut animale corpus non est anima, sed corpus: ita & spirituale corpus non Spiritum debemus putare, sed corpus.* Spirituale corpus vocatur à Paulo 1. *Cor.* 15. ergo non Spiritus. Nam Spiritus non habet corpus. Ergo Spiritus & spirituale corpus non sunt idem. Et Paulus non dicit, mutandam esse substantiam corporis in resurrectione, sed corporis & substantiæ qualitates. Sic enim scribit *l. d. ut hoc quod est corruptioni obnoxium, induat incorruptam naturam, & mortale induat immortalitatem.*

3. *Quid facto sit opus, si nullo vel exiguo desiderio vitæ æternæ teneamur?* Misera conditio hujus vitæ est penitius inspicienda, & cum vita æterna componenda: tum Deus est orandus, ut in nobis excitet desiderium vitæ æternæ.

4. *Quomodo possimus & debeamus hic in terris inchoare vitam æternam?* Per fidem, spem, & charitatem. Itaque necesse est, ut corda, conversatio, desideria, & vota nostra

sint

sint in cœlis : item ut vivamus vitam sanctam & inculpatam.

5. *An possimus & debeamus esse certi in hac vita, nos esse haredes vitæ æternæ?* Omnino. Nam quicunque credit in Jesum Christum, ille jam translatus est ex morte in vitam. Cæterum intellige hîc certitudinem fidei, non verò visionis, ut loquuntur.

4. De gehennâ & morte æternâ.

1. *Ubinam locorum sit gehenna?* Quia conscientia sæpenumero hic fluctuat, operæ pretium est ita cogitare hac de re. Sicut cœlum beatorum est locus supremus: ita locus damnatorum est locus infimus, in quo corpora damnatorum inter alias pœnas etiam hanc experientur, quod angustum sint occupatura spatium, quomodo videmus haleces in dolium aliquod compingi.

2. *Cur Deus, qui est ipsa Φιλανθρωπία, homines æternis addicat suppliciis?* Quia non est μονόφθαλμος, hoc est, tantum misericors, sed etiam justus.

3. *An qui mortis æternæ initia sentiunt in hac vita, sint reprobi?* N. Nam etiam electi quandoque illa sentiunt. Sed magnum est discrimen inter illos & reprobos. Nam

electi

electi sentiunt initia mortis æternæ hoc fine, ut Christo fiant conformes; & hoc modo, ut eluctentur. Sed reprobi sentiunt ista initia, tanquam præludium pœnæ futuræ.

4. *An homo possit esse certus in hac vita, se abjiciendum esse à facie Dei paterna?* Affirmatur de propudiis hominum, qui neque Deum, neque homines curant: item de iis, qui peccant in Spiritum sanctum.

METHODUS.

Theologiæ casuum.

Theologia casuum constat parte communi & propria.

Pars communis est de conscientia, *cap.* 1. & ejus lucta in genere, *c.* 2.

Pars propria persequitur omnes conflictus conscientiæ, qui sunt de religione, *cap.* 3. & religionis tum norma, ut est Scriptum sacra, *cap.* 4. tum objecto, quod est Deus, qui cognoscitur tum in se, *cap.* 5. tum in operibus suis.

Opera Dei considerantur in genere, *cap.* 6. & in specie: vt sunt decretum & executio decreti Dei.

Decretum Dei spectatur in genere, *cap.* 7. & in specie; vbi est providentia, *cap.* 8. & prædestinatio, *cap.* 9.

Executio decreti Dei est creatio, *cap.* 10. & gubernatio, eaque mundi in genere, *cap.* 11. &

11. & in ſpecie Angelorum, *cap.* 12. & hominis.

Homo conſideratur in ſtatu integritatis, peccati, gratiæ, & gloriæ.

Status integritatis, ſeu gratia primi hominis, ediſſeritur *cap.* 13.

Status peccati conſideratur tum in genere, quantum ad peccati naturam *cap.* 14. & ipſius cognitionem, quæ petitur ex Lege *cap.* 15. tum in ſpecie, quantum ad varias differentias peccati, quod committitur adverſus tabulam decalogi primam, *cap.* 16. 17. 18. 19. & ſecundam, *cap.* 20. 21. 22. 23. 24. 25.

Status gratiæ ſpectatur in gratiæ promulgatione, collatione, & obſignatione.

Promulgatio gratiæ fit in Euangelio, *cap.* 26.

Collatio gratiæ fit per Chriſtum, *cap.* 27. in Eccleſia, *cap.* 28. modo admirabili, qui cernitur in vocatione, juſtificatione, & ſanctificatione.

Vocatio ſpectatur in modo ſeu forma ſua, *cap.* 29. & effectis, ut ſunt fides. *cap.* 30 & pœnitentia, *cap.* 31.

Juſtificatio ſimiliter ſpectatur in modo ſeu forma ſua *cap.* 32. & effectis, ut ſunt libertas Chriſtiana, *cap.* 33. & adoptio filiorum Dei, *cap.* 34.

Sanctificatio & ipſa quoque ſpectatur in modo ſeu forma ſua, *cap.* 35. & effectis, ut

ſunt

sunt tolerantia crucis, c. 36. & bona opera; quæ considerantur in genere, c. 37. & in specie; ubi sunt bona opera quantum ad tabulam decalogi primam, c. 38. 39. 40. 41. & secundam, c. 42. 43. 44. 45. 46. 47.

Obsignatio gratiæ fit per sacramenta; quæ considerantur in genere c. 48. & in specie; uti sunt testamenti veteris, c. 49. & novi; ubi est baptismus, c. 50. & sacra cœna, c. 51.

Status gloriæ spectatur in quatuor novissimis, uti sunt mors, judicium, vita æterna, & infernus. c. 52. Ex his mors beatorum est janua vitæ; judicium, est ipsorum solennis justificatio; vita æterna, est ipsorum præmium; infernus commendat amplitudinem gloriæ in vitâ æternâ.

Atque hæc est methodus, quam Casista observare potest, si velit quæstiones conscientiæ secundùm seriem locorum communium digerere. Quod quidem non est leve subsidium memoriæ.

EXPLI-

EXPLICATIO TERMINORUM *quibus utuntur Casistæ.*

NUlla est ars, nulla professio, quæ suos non habeat terminos, quos vocant. Ita & Casuum theologia, ejusq; professores utuntur peculiaribus vocabulis: quorum explicationem hoc loco exhibemus, ut consulamus iis, qui hanc theologiæ partem evolvere cupiunt.

1. *Casistæ* sunt scriptores & professores casuum conscientiæ: quales sunt *Raimundus de Penna forti*, *Antoninus Florentinus*, *Astesanus Astensis*, *Bartholomæus Pisanus*, *Pacificus*, *Angelus de Clavasio*, *Baptista Tortuamala*, *Thomas Caietanus*, *Iohannes Tabiensis*, *Sylvester Prieras*, *Alexander de Arioſtis*, *Bartholomæus Fumus*, *Martinus Navarrus*, *Iohannes Azorius*, *Iohannes Molanus*, *Guil. Perkinsius &c.* Ex his dicuntur *Canonistæ*, qui Placita juris canonici suspiciunt.

2. *Theologia practica*, sive *moralis*, est ea systematis theologici pars, quæ versatur in expediendis casibus conscientiæ, & vita hominis Christiani formanda, tum in genere, tum in specie. Quò pertinent quæ traduntur de officiis Christianorum.

3. *Summa casuum conscientiæ Pacifica.* Sic appellatur summa, quam Pacificus, ordinis Minorum, edidit anno Christi 1480.

4. *Summa casuum conscientiæ Angelica.*

Sic appellatur summa, quam scripsit Angelus à Clavasio, anno 1480.

5. *Summa casuum conscientiæ Rosella.* Sic appellatur summa, quam scripsit Baptista Trovamala, an. 1483.

6. *Summa casuum conscientiæ, quæ dicitur Armilla,* authorem habet Bartholomæum Fumum.

7. *Conscientia est bona vel mala, mortua vel expergefacta, errans vel non, dubitans vel certa, cauteriata vel non, bona aut mala universaliter vel particulariter.* Explicationem pete supra c. 1.

8 *Tentatio est dubitationis, imperfectionis, blasphemiæ præsumtionis.* Explicationem vide supra c. 2.

9. *Tentatio est divina, diabolica, vel humana: & hæc est carnis, vel mundi.*

10. *Pœnitentia est interior, vel exterior.* Illa consistit in odio & fuga peccati: hæc in bonis minimè hypocriticis, & actibus Ecclesiasticis. Huc itaque pertinet jugum pœnæ temporalis, sive satisfactionis Ecclesiasticæ.

11. *Aliquid est necessarium in re,* si facultas adsit; *vel in voto,* si facultas non adsit.

12. *Aliquid est continuum secundùm actum, vel secũdùm habitum.* Posteriori modo

do fides, spes, & charitas debent esse continuæ.

13. *Compensatio peccati est universalis & totalis, vel particularis & partialis.* Illa fit per sanguinem Christi: hæc per pœnitentiam.

14. *Recordatio peccatorum est felix, vel infelix* Illa pœnitentiam habet comitem, *Ps.* 51. hæc, desperationem, delectationem, vel indurationem.

15 *Experientia est felix, vel infelix.* Illa est finis, vel principium boni: hæc, stultorum magistra.

16 *Spiritus est servitutis, vel libertatis.* Vide *Rom.* 6.

17. *Displicentia peccati est virtualis, vel actualis.* Illa est implicita & generalis: hæc, explicita & specialis. Dolor peccati eodem modo distinguitur in virtualem & actualem.

18. *Peccatum veniale dicitur absolutè vel comparatè; per se, vel per accidens.* Absolutè & per se peccata falsò dicuntur venialia. Comparatè veniale dicitur peccatum leve, respectu nempe atrocioris: per accidēs, respectu veniæ quam Deus in Christo dat electis.

19. *Detestatio peccati est tacita, vel expressa.*

20. *Opera hominis sunt viva, vel mortua.*

Heb.6.& 9. Illa sunt spiritus, hæc carnis. Scholasticis etiam *opera mortua* dicuntur, quę ex natura quidem sua laudabilia sunt, ut oratio, eleemosyna, jejunia, cæteraque similia virtutum officia, sed quæ quis in peccato existens operatur. Iisdem *opera mortificata* dicuntur bona illa opera, quæ viva & grata Deo fuerunt, sed peccato postea intervenient te vitam suam amiserunt.

21. *Contritio cordis est perfecta, vel imperfecta.* Quæ divisio proba est, si intelligatur perfectio partium. Vide paulò pòst dist.25.

22. *Dolor peccati est rationalis, vel sensibilis.* Ille est voluntatis, seu appetitus rationalis, semperque est necessarius in pœnitentia: hic est in appetitu sensitivo, & ex eo pœnitentia non est mensuranda. Prior ille dolor eleganter describitur esse displicentia in superiori animi parte, qua non solùm peccatum, sed aliquis sibi propter peccatum displicet.

23. *Detestatio peccati est primaria, vel secundaria.* Illa est, qua quis detestatur peccatum, quia contra Deum est: hæc, qua quis peccatum detestatur quia turpe est, quia est contra rectam rationem, contra honorem & famam, contra vitam æternam & felicitatem peccantis. Pertinet huc & illa distinctio. *Detestamur peccatum vel quia* est contra justitiam & bonitatem Dei, at que

atque reverentiam, honorem & obedientiam ipsi debitam: *vel quia* malum est in se, & nobis. Item, *aliquis detestatur* peccatum vel sub ratione peccati, vel sub ratione noxæ seu pœnæ.

24. *Dolor voluntatis in pœnitentia debet esse summus appretiativè, non autem autem intensivè.* Ratio prioris est; quia sicut ille verè diligit Deum, qui eum super omnia diligit: ita solus ille perfectè & integrè detestatur peccata, qui super omnia alia mala ea detestatur. *Ratio* posterioris est; quia dolor iste est in damnatis.

25. *Tria sunt genera imperfectæ contritionis.* 1. Cùm quis dolet de peccato propter humana & naturalia motiva: putà ex turpitudinis peccati consideratione. 2. Quod oritur à timore pœnarum. 3. Cum est desiderium imperfectum placendi Deo, & aliqua spes veniæ. Itaque perfecta contritio est, cum quis dolet ob peccatum, quia est offensa Dei. Quæ consideratio reliquis omnibus supereminet. Cæterùm *imperfecta illa contritio est noxia & hypocritica; vel salutaris*, quippe dispositio ad contritionem perfectam.

26. *Impulsus Spiritus sancti est vel inhabitantis, vel moventis tantùm.* Priori modo Spiritus sanctus agit in omnibus regenitis: posteriori in multis irregenitis, ut in Aristide, Catone.

27. *Contritio cordis, adeoque detestatio peccati, est generalis & confusa, vel specialis & distincta.* Et hæc est vel secundùm numerũ, vel secundùm speciem peccatorum.

28. *Aliquid est necessarium necessitate præcepti, finis medij meriti &c.*

29. *Aliquid habet vim maiorem in necessitate, vel extra necessitatem.*

30 *Confessio peccati est necessaria, vel arbitraria: publica, vel privata: ordinaria, vel extraordinaria &c.*

31 *Actio est personalis, vel repræsentatitia.* Illa proficiscitur ab aliquo immediatè: hæc fit mediatè, putà per internuntios, interpretem, literas, &c.

34 *Circumstantiæ variæ sunt:* vid. species facti mutantes, factum minuentes vel aggravantes seu exaggerantes, impertinentes vel ad atrocem causæ pertinentes. Sic variæ in peccatis sunt circumstantiæ mutantes speciem peccati, ut circumstantia conscientiæ & scandali: item minuentes vel aggravantes peccatum, ut circumstantia personæ, loci, temporis &c.

35. *Confessio peccati est implicita & generalis, vel explicita & specialis.* Exemplum prioris est, quando peccator ita confitetur: *Quantus, quantus sum, totus sum peccator; nec ipse peccatorum meorum magnitudinem aut mente, aut lingua assequi possum.*

Quia

Quam certissimam confessionis regulam Calvinus rectè tradit. Neque enim (quod non nemo scribit,) hujusmodi confessio constat humilitate mendacii plena.

36. *Potestas, quam habet pastor Ecclesiæ, est ordinaria, vel ex commissione superioris.* Item *est ordinis, vel iurisdictionis.*

37. *Satisfactio est externa, eaque civilis, vel Ecclesiastica; vel interna, eaque vel Christi, vel hominis Christo insiti & dediti* Rursus *satisfactio est exacta, vel non.* Solius Christi satisfactio pro peccatis est exacta. Hæc siquidem est iniuriæ Deo per peccatum illatæ, per summam justitiæ æqualitatem compensatio ultronea. Ad nostram satisfactionem quod attinet, illa non satisfacimus Deo, sed vel nobis, cordique & conscientiæ nostræ, vel Ecclesiæ, vel proximo.

38. *Satisfactio, qua nos nobis vel aliis satisfacimus, est libera, vel ab aliis imposita.*

39. *Pœnitentia est secreta, vel publica: & hæc solennis, vel non.*

40. *Indulgentia est divina, civilis, vel Ecclesiastica: & hæc est legitima, vel illegitima.*

41. *Triplex est hominum status in hac vita: peccati, pœnitentiæ, & gratiæ.*

42. *Opera satisfactoria* falsò dicuntur oratio, jejunium & eleemosyna.

43. *Sigillum confessionis* est, quo minister verbi Dei cavere jubetur, ne propalet aut alicui recitet quod ei peccator pœnitens confessus est.

44. *Thesaurus indulgentiarum* præter pretiosissimum & inexhaustum Christi meritum falsò statuitur in meritis omnium Sanctorum.

45. *Censura* est pœna severior *eaque civilis vel ecclesiastica*; & hæc est excommunicatio, absentio, suspensio, & correptio.

46. *Excommunicatio est minor, vel maior*: seu, imperfecta, vel perfecta. *Excommunicatio minor* est exclusio à participatione sacramentorum, quæ nunc absentio, nunc suspensio dicitur: quanquam hæc vocabula etiam aliter usurpantur. *Excommunicatio maior* est separatio à communione Ecclesiæ. Et hæc usitatè dicitur excommunicatio. *Est autem duplex: una iudicis, altera canonis*, quæ alio vocabulo, latæ sententiæ excommunicatio dicitur. Rursus *excommunicatio infligitur à iure, vel ab homine: est generalis, vel particularis; item reservata, vel non reservata; iusta, vel iniusta; valida, vel nulla.*

47. *Excommunicati separantur ab omni consortio cũ fidelibus*, juxta versus vulgares:

Os.

Osc. orare, vale, communio, mensa negatur:
Si pro delictis anathema quis efficiatur.

Licet tamen cum eis extra divina in quibusdam casibus communicare: quos sequens versiculus complectitur,

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Utile significat spiritualem utilitatem excommunicati, & temporalem quoq; communicantis cum ea. *Lex* significat legem conjugii. *Humile* pertinet ad servos, filios non-emancipatos, commensales, famulos, religiosos, & vasallos: ac contrà. *Res ignorata* extenditur ad ignorantiam juris & facti. *Necessitas* respicit officia humanitatis.

48. *Suspensio sumitur latè, vel strictè.* Illa est ipsissima excommunicatio minor, qua quis suspenditur ab usu S. cœnæ: hæc est, qua ministro verbi Dei prohibetur exercitium sui muneris. Est itaque suspensio ista aliquid minus quàm depositio & degradatio, sive verbalis, sive actualis.

49. *Interdictum* apud Canonistas dicitur, quando prohibentur divina celebrari officia, vel sacramenta ministrari, in aliquo loco: item quando alicui negatur Ecclesiastica sepultura. *Dividitur in generale, & particulare: itemque in personale, locale, & mixtum.* Nam vel persona tantùm, vel loca tantùm, ut civitas, villa &c. vel utraque subiiciuntur interdicto Ecclesiastico.

50. *Irregularitas* apud Canonistas est impedimentum canonicum ex facto vel defectu proveniens, quo quis ad Ecclesiasticos ordines promoveri, & promotus, in iisdem ministrare prohibetur. Irregularitas ista est ex indecentia, delicto, defectu natalium, ætatis, corporis, scientiæ &c.

51. *Absolutio est divina, Ecclesiastica, vel civilis.*

52. *Confessio fidei est necessaria, vel temeraria: tempestiva, vel intempestiva.*

53. *Occultatio fidei & religionis est mascula, vel hypocritica.* Illa est, cùm nulla aut legis, aut judicis interrogatio est, neque confessionem aut Dei honor, aut proximi salus postulat: hæc est, quæ fit in contrariis casibus. *De mutatione habitus* idem est judicium.

54. *Fuga tempore persecutionis est licita vel illicita.* Illa est, quæ congruit mandato & exemplo Christi: hæc secus. Deinde alia est ratio fugæ in auditoribus, alia in pastoribus, quibus per fugam non licet ovium sibi creditarum curam deserere: utpote quæ non solùm in pace curare, sed etiam in acie armare ac tueri debent, ut scitè ait Cyprianus.

55. *Superstitionum species ad duo capita revocantur.* Alterum in perverso est positum

veri

veri Dei cultu: alterum in falsorum deorum cultu; & hoc est idololatria; divinatio magica, vel maleficium magicum.

56. *Blasphemia est immediata, vel mediata: directa, vel indirecta.*

57. *Tentatio Dei dicitur activè, vel passivè.* Illa est, qua Deus tentat hominem: hæc, qua homo tentat Deum, idque vel tacitè, vel manifestò.

58. *Sacrilegium fit directè, vel indirectè.*

59. *Securitas est spiritualis, vel carnalis:* seu, bona vel mala.

60. *Fiducia & spes est vel in Deo, vel in carne.*

61. *Desperatio est de Dei omnipotentia & misericordia, vel de virib. & auxilio hominũ.*

62. *Iuramentum est licitum, vel illicitum.* Illius conditiones tres sunt: quia, ut ait Deus *Ier. 4.* jurabis in veritate, judicio, & justitia.

63. *Iuramentum est promissorium, comminatorium &c & fit per nominis Dei interpositionem apertè, vel tectè: denique est coniunctũ cum execratione, vel sine ea.*

64. *In voto requiritur duplex propositum:* Unum, vovendi; alterum, id adimplendi quod vovetur.

65. *Votum est simplex, vel solenne: explicitũ, vel implicitum: purum, vel conditionale.*

66. *Homicidiũ est sui ipsius, vel alterius: & hoc est volũtariũ, vel casuale.* Homicidiũ vo-

luntarium est licitum, ut in bello legitimo: vel illicitum.

87 *Bellum est publicum, vel privatum.* Bellum publicum est defensivum, vel offensivum: bellum privatum dicitur duellum, quod est licitum, vel illicitum, sicut & ipsum bellum publicum.

68. *Adulterium est triplex.* 1. Conjugati cum soluta. 2. Conjugatæ cum soluto. 3. Conjugati cum conjuguta. Quidam addunt quartam speciem, qua adulter dicitur propriæ uxoris, qui est amator ardentior. Sed hoc catachrestice dicitur.

69. *Fornicatio est simplex, vel composita:* & hæc est stuprum, raptus, incestus, mollities, & peccatum contra naturam.

70. *Ebrietas est actualis, vel habitualis.* Utraq; est simplex, vel cõposita. Illa est, qua quis inebriatur: hæc, qua aliquis inebriat alium, ad æquales hausstus eum urgendo & obligando. Contra quam corruptelam lepidè quidam scripsit:

Is quater est latro, dum se sociumque trucidat:
Utriusque animam, corpus utrumque necat.

71. *Furtum est simplex, vel compositum.* Illud nomine generis dicitur furtum: hoc est plagiatus, peculatus, sacrilegium, rapina.

72. *Triplex statui solet rerum eodem loco & tempo-*

tempore pretium: summum, medium, & infimum. Cujus æstimatio non pendet ex arbitrio mercatorum: sed ex communi hominum judicio sumitur, & aliquando à magistratu taxatur.

73. *Census liciti; seu annui reditus, sunt vitales, vel perpetui: personales, vel reales: pecuniarij, vel fructuarij: redimibiles, vel irredimibiles.*

74. *Cambium est minutum, vel siccum.* Minutum est, quando pecuniæ cum pecuniis commutantur cum lucro: siccũ, quando campsor dat alteri pecuniam, ut eam ratione expectationis cum lucro reddat. *Deinde cambium est aliud per literas, aliud ad creditum, aliud reale.*

75. *Ablatio* fit per furtum, rapinam, detentionem, & damnificationem.

76. *Acceptio* fit per contractum, locationem, mutuum, vel depositum.

77. Emtor est bonæ, vel malæ fidei.

78 *Usura est mentalis, vel exterior: moderata, vel immoderata seu mordax.* Usura mẽtalis est, quando mutuum datur, & inde lucrum accipitur, aut intenditur, absque expressa insinuatione. Exterior est vel clara, vel titulo honesto palliata. Usura moderata est, quando aliquid ultra sortem accipitur vel ex liberalitate & benevolentia alterius, vel ratione fructuum, pœnæ, dãni

emergentis, aut lucri cessantis.

79 *Iudicium est forense, vel Ecclesiasticum* In utroque est judex superior, vel inferior: competens, vel incompetens.

80. *Detractio* fit multis modis. Nam detractor detrahit circa bonum,

Qui negat, aut minuit, tacuit, laudat vere misse.

Quod ad malum, detractor est

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens.

Meminit etiam Bernhardus, quosdam per modum compassionis detrahere.

81. *Mendacium est officiosum, iocosum, vel pernicioſum.* Semper tamen est in vitio.

82. *Promissio est nuda sive simplex, vel iurata: valida, vel invalida.*

83. *Lex est inspirata, vel naturalis.*

84. *Exactiones sunt iusta, vel iniusta.*

85. *Beneficiorum* collatio, resignatio, permutatio, electio, præsentatio, installatio, facienda est gratis, justè, & ex potestate conferentis.

86. *Animus clericandi* est propositũ, quo quis cupit fieri & manere clericus.

87. *Simonia* est studiosa voluntas emẽdi vel vendendi aliquid spirituale, aut spirituali annexum. *Estque mentalis, conventionalis, vel realis,*

88. *Affectus est bonus, vel malus,* qui etiam recurvus dicitur. 89. *Im-*

89. *Imprecatio* fit vel ex affectu malo, vel ex spiritu prophetico.

90. *Actus*, sive actiones, *hominum* ex seipsis possunt esse indifferentes ad bonum & malum. Sed in individuo omnis actus à ratione & voluntate procedens, aut bonus, aut malus est. Nec fieri potest ut unus atque idem actus in genere moris sit bonus vel malus.

91. *Bonitas actionum nostrarũ* potest quadrupliciter considerari: secundùm genus, quatenus sunt actiones humanæ: secundũ speciem, quæ ab objecto sumitur: secundùm circumstantias: & secundùm finem.

92. *Bonitas voluntatis* magis dependet à lege æterna (quæ est divina ratio, seu voluntas Dei) quàm ab ipsa ratione humana rectè se habente.

93. *Notitia est mentis, vel experientiæ.* De hac posteriori ait Johannes: *Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est.* Nam quisquis eum non amat, profectò ostendit quòd quàm sit amabilis, non nôrit.

94. *Virtus est falsa, vel vera. Falsa* est, quando vitiũ palliatur adumbrata nomenclaturâ à vicino subjectæ virtutis. Sic incauta loquacitas dicitur affabilitas, severitas putatur esse justitia, amaritudo mentis appellatur maturitas. *Vera* virtus

est

est perfecta, vel imperfecta. *Perfecta* est, quæ infunditur, & cadit in hominem regenitum. *Imperfecta virtus* est naturalis, vel acquisita. *Virtus naturalis* est: quæ naturaliter hominibus inhæret: ut naturalis humilitas, benignitas, modestia, largitas, misericordia, patientia, dilectio. *Virtus acquisita* dicitur moralis & philosophica

95. *Iustitia est universalis, vel particularis.* Illa est, quæ suum cuique reddit, & est omnium mandatorum Dei plena custodia: hæc est distributiva, vel commutativa.

96. *Opera bona sunt iustitiæ, vel charitatis.* Opera justitiæ præcipuè sunt tria: oratio, eleemosyna, & jejunium. Opera charitatis seu misericordiæ sunt correptio fraterna, dilectio proximi &c.

98. *Eleemosyna est corporalis, vel spiritualis.* Illa continetur cibo & potu, tegmine & tecto, defensione & munitione corporis, atque adeo illius medicinâ: hæc est animi medicina, & in duo distribuitur, coërcitionem & instructionem. Coercitio timore: instructio amore perficitur. Sunt autem corporales eleemosynæ septem juxta versum:

Visito, Poto, Cibo, Redimo, Tego, Colligo, Condo.

Spirituales eleemosynę sunt totidem iuxta versum:

Con-

Consule, Castiga, Solare, Remitte, Fer, Ora

99. *Correptio alia est superioribus propria, alia fraterna.* Illa est actus iustitiæ; hæc, charitatis, seu misericordiæ.

100. *Oratio* est actus religionis: quippe piæ mentis in Deum elevatio, cum decentium, sive temporalium, sive spiritualium petitione, aut gratiarum actione pro illis iam impetratis. Est autem tripartita: videl. *mortalis, vocalis, & vitalis.* Quod ita est accipiendum, ut mentalis sine vocali, at vocalis sine mentali non item prosit. Ita quoque vitalis sine vocali prodest, sed vocalis sine vitali minimè.

101. *Horarum canonicarum officium* apud Canonistas est duplex: nocturnum, & diurnum: & hoc à matutinis laudibus inchoatum septenario numero comprehenditur. De quibus hi versiculi extant:

Hæ sunt septenis propter quæ psallimus horis:
Matutina ligat Christum, qui crimina purgat:
Prima replet sputis: causam dat Tertia mortis:
Sexta cruci nectit: latus eius Nona bipertit:
Vespera deponit: tumulo Completa reponit.

102. *Ieiunium est .philosophicum*, seu cõmune; videl. abstinentia, quæ fit valetudinis

bis causa. 2. *Naturale*; quod omnem cibi & potus sumtionem excludit ob defectum naturæ. 3 *Supernaturale*, quod omnem cibi & potus sumtionem excludit ob miraculosam naturæ sustentationem. 4. *Metaphoricum* seu spirituale: quod Augustino dicitur magnum & generale jejunium, quando abstinetur à peccatis. 5. *Ecclesiasticum*; quando à cibo & potu abstinetur ex præcepto Ecclesiæ. 6. *Politicum*, quando à cibo abstinetur ex præcepto magistratus.

103. *Virtus est theologica, vel philosophica.* Illa est fides, spes, & charitas: hæc est cardinalis, ut prudentia, justitia, fortitudo, & temperantia: vel à cardinali dependens, ut reliquæ.

104. *Fides est vel constantia dictorum factorumque*, locum habens etiam in Deo: *vel fiducialis assensus factus promissioni Dei in Christo*, locum habens in solis Dei filiis.

105. *Fides est quæ creditur, vel quâ creditur.* Illa est ipsum Dei verbum: hæc est historica sive dogmatica, miraculosa, temporaria, vel salvifica.

106. *Principium fidei est vel efficiens*, ut Spiritus sanctus: *vel meritorium*, ut mors Christi: *vel organicum*, ut Scriptura, Ecclesia, exercitatio crebra.

107. *Spes est Christiana, vel humana: & hæc rationabilis, vel fatua.*

108. *Cha-*

108 *Charitas est ordinata, vel inordinata.* Illa est qua quis diligit Deum supra omnia, & proximum sicut seipsum: hæc invertit istum ordinem.

109. *Deus diligendus est super omnia, non intensivè* (hoc enim modo tolus Deus diligit seipsum) *sed appretiativè.*

110. *Prudentia* est virtus practica: cujus species sunt, ethica, œconomica, & politica. Et subserviunt eubulia, synesis, & gnome, hoc est, virtus bene consultandi, benequejudicandi aut secundùm legem, aut secundùm rationem. Huic vicina est *sapientia theorica.*

111. *Fortitudo est vera, vel temeraria: & illa est animi, vel corporis*

112 *Timor est quintuplex:* 1 *Naturalis;* qui neque bonus, neque malus est moraliter. 2 *Mundanus;* qui malus est, & semper pœnam meretur. 3. *Servilis:* qui etsi cum peccato conjunctus est, tamen utilis est conversioni peccatoris. 4. *Initialis;* qui inter servilem & ingenuũ medius est. Hic per se bonus est: quippe qui ab ingenuo differt imperfectionis & perfectionis tantùm ratione. 5. *Ingenuus*, seu filialis, castus, & liberalis; qui est timor Domini sanctus, permanens in seculum seculi. Hic crescente charitate crescit cum ea; sicut è contrario timor servilis charitate crescente decrescit.

113. *Bea-*

113. *Beatitudo est vera, vel apparens: & illa est huius vitæ, vel patriæ.*

114. *Virtuti opponuntur* malitia, peccatum, & vitium: propriè tamẽ vitium, quod aliquando pro actu sumitur, sed propriè est nomen habitus.

115. *Causa peccatorum aliæ sunt interiores,* ut ratio, voluntas, & appetitus sensitivus: *aliæ exteriores*, ut diabolus malum suggerens, homo ad peccandum inducens, & omnia quæ passiones excitant, vel appetitum sensitivum immutant. Ex his omnibus voluntas est vera & propria peccati causa.

116. *Ignorantia ex parte rei* dividitur in ignorantiam iuris & facti: *ex parte hominis*, in invincibilem, probabilem, crassam, & affectatam: *ex parte actus*, in antecedentem, concomitantem, & subsequentem.

117. *Peccatum est ignorantiæ, infirmitatis, vel malitiæ: originale, vel actuale, quod etiam activum appellatur: omissionis, vel commissionis &c.*

118. *Effectus peccati sunt primarij, vel secundarij.* Primarii sunt corruptio, macula, & reatus pœnæ. Reatus, inquam, pœnæ. Neque enim pœna est effectus peccati, sed justitiæ. Secundarii effectus sunt odiũ Dei, quo ille odit peccatorem; & servitus triplex, sub peccato, diabolo & morte.

119. *Tri-*

119. *Tribus gradibus pervenitur ad peccatum*: Suggestione, delectatione, & consensione.

120. *Primum peccatum* est cogitasse quæ mala sunt: *Secundum*, cogitationibus acquievisse perversis: *Tertium*, quod mente decreveris, opere complesse: *Quartum*, post peccatum non agere pœnitentiam, & suo sibi complacere delicto.

121. *Septem sunt peccata capitalia*: videl. Superbia, avaritia, luxuria, invidia, gula, ira, & acedia, iuxta versum mnemonicum:

Ut mortem vites, semper SALIGIA vites.

Quæ capitalia dicuntur, quòd sint velut fontes, vel capita reliquorum. Ex his gula & luxuria sunt peccata carnalia, & maioris infamiæ: reliqua spiritualia, & maioris culpæ. Spiritualia faciunt hominem similem dæmonibus; carnalia, bestiis. Septem istis peccatis opponuntur totidem virtutes: videl. humilitas, liberalitas, castitas, benignitas, abstinentia, patientia, & devotio.

122. *Superbia* est spiritualis, vel corporalis: & quatuor modis manifestatur. 1. Cùm quis quod habet suis viribus adscribit. 2. Aut suo merito. 3. Aut cùm quod non habet, sibi vendicat. 4. Aut quod habet singulariter sibi, contemtis reliquis arrogat.

123. *Glo-*

123. *Gloria est vera, vel inanis.* Proinde & *appetitus gloriæ* duplex est: videlicet gloriæ veræ, vel falsæ. Rursus *appetitus veræ gloriæ* est ordinatus, vel inordinatus.

124. *Iactantia* est triplex: per ironiam, vanitatem, vel falsitatem.

125. *Contentio fit tripliciter.* 1 Æmulando. 2 In disputando. 3. Per lites & processus.

126. *Spiritus tristitiæ* aut est invidia, aut zelus, aut dolor secundum Deum &c.

127. *Tristitia de bono alterius* est bona, vel mala. Sic v.g. si quis tristetur de bono alterius propter justitiam, ut quia indigno datur episcopatus, est zelus bonus.

128. *Ira* est affectus conjunctus cum defectu, vel effectu justitiæ, ut est ira judicis.

129. *Spiritus gastrimargiæ* est ingluvies ventris, seu crapula; cujus vitii actus notantur hoc versu:

Præpropere, lautè, nimis ardenter, studiosè.

130. *Spiritus fornicationis* est luxuria, id est, libido carnis. Occasiones ipsius sunt numero undecim, juxta versum:

Otia, segnities, somnus, caro, fœmina, vinum,
Prosperitas, ludus, carmina, forma, puer.

131. *Tres sunt ternarij peccatorum alienorum.*

rum. *Primus ternarius* est, quando peccatur consilio, jussione, vel consensu: *Secundus*, quando irritatione, laudatione, vel reticentia: *Tertius*, quando conniventia, participatione, vel defensione.

132. *Sex modis peccatur in Spiritum sanctum*: videl. præsumtione, cùm quis fretus misericordia Dei peccat: desperatione de misericordia Dei: impugnatione veritatis agnitæ: invidentia fraternæ gratiæ: obstinatione, seu obstinata voluntate peccandi: denique impœnitentia, contra donum Dei. Sed memineris latè ita sumi peccatum in Spiritum sanctum. Nam strictè & propriè a Christo sic appellatur blasphemia in Spiritum sanctum, quæ veteribus dicitur *spiritus blasphemiæ*, qui facit ut homo gratiam Spiritus sancti in se extinguat, eamque in aliis pertinaciter & perseveranter oppugnet. Quanquam autem de sex enumeratis criminibus Dominus propriè non sit locutus. Rectè tamen eodem nomine appellantur, quia eis communis est ratio & malitiæ, & irremissibilitatis.

133. *Clamor peccati* in Scriptura ponitur pro tanta impudentia & libertate iniquitatis, ut nec verecundia, nec timore abscondatur. Ejusmodi peccata è Scripturis quatuor enumerantur: videl. homicidium

volun-

voluntarium, de cuius clamore legere est *Genes.* 4. tum peccatum Sodomiticum, seu immunditia contra naturam, de cuius clamore est *Gen.* 18. & 19. & Hinc à Tertulliano scriptum est, libidinum furias ultra iura naturæ non esse delicta, sed monstra. Tertiò est clamor oppressionis, *Exod.* 3. & 22. quartò & ultimò est clamor calumniantis mercedem, ut vocant, id est, fraus mercedis. *Deut.* 24. *Iac.* 5.

134 *Scandalum est activum, vel passivum: seu datum, vel acceptum.* Illud dicitur scandalum pusillorum, & est occasio ruinæ: hoc dicitur scandalum Pharisæorum, & est ipsa ruina.

135. *Lex est naturalis, Mosaica, vel Evangelica seu Christiana.* Ubi per legem Evangelicam oportet intelligere Evangelium, quæ Apostolo est lex fidei, aliis lex gratiæ, & lex nova: quanquam vulgo aliter hæc nomenclatura accipitur.

136. *Ceremoniæ N. T. sunt universales, vel particulares.* Illæ à Christo sunt institutæ, & in Ecclesia universa meritò obtinent: hæ variant pro loco & tempore, & aliis dicuntur topicæ, seu locales.

137. *Intentio est habitualis, actualis, vel virtualis.*

138. *Ablutio in baptismo est activa, vel passiva* Illa ministrantis, hæc suscipientis sacramentum.

139. *For-*

139. *Forma baptismi est externa, vel interna.* Illa consistit in his verbis: Ego te baptizato in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti: hæc in conjunctione baptismi externi & interni.

140. *Exorcismus* vulgo statuitur duplex: unus catechumenorum, alter energumenorum. Sed hic posterior duntaxat est legitimus, si quis habeat illud donum à Deo sibi concessum.

141. *Dux vitæ* à Dionysio dicitur sponsor, seu patrinus, qui etiam compater.

142. *Sacramentum sacramentorum* apud Dionysium est eucharistia, quæ his etiam nominibus insignitur sacramentum panis & calicis, sacramentum corporis & sanguinis Christi, synaxis, communio, vita, vitalis esca & potus, cœlestis alimonia, panis vitæ, esca vitæ, poculum æternitatis, convivium Dominicum, mensa Dominica, mensa mystica, sacramentum pacis & charitatis, viaticum, cœna, cœna Domini, eucharistia sacra, sacramentum altaris, sacrificium, panis confractio, lignum vitæ, pascha Christianorum, paschale sacramentum, manna absconditum, panis cœli & angelorum, sacramentum Ecclesiæ, mysterium,

sterium, mysterium fidei, tremenda mysteria &c. Ex quibus appellationibus nonnullæ prima fronte videntur absurdæ: quæ tamen dextra explicatione fulciri possunt.

143. *Panis est ver⁹, vel imitatitius.* Verus, sive sit fermentatus, sive infermentatus, est idonea materia eucharistiæ.

144. *Sacramentum exeuntium* à Canonistis appellatur extrema unctio.

145. *Character indelebilis* apud eosdem dicitur imprimi in sacramento baptismi, confirmationis & ordinis.

146. *Ordines septem* commemorantur à Canonistis, hoc modo: In minoribus ordinib⁹ sunt Ostiarii, Lectores, Exorcistæ, Acoluthi; in sactis & majoribus Subdiaconi, Diaconi & Presbyteri.

147. *Sponsalia* sunt publica, vel clandestina: de futuro, vel de præsenti: honesta, vel inhonesta: vera, vel fictæ.

148. *Conditio, qua adjicitur sponsalibus,* est honesta, vel inhonesta: contra substantiam matrimonii, vel secus: possibilis, vel impossibilis.

149. *Matrimonium* est ratum, vel consummatum.

150. *Consensum coactum in conjugio* Excusant:

tulant status, & carcer, mors, verbera, stuprum.

151. *Error in matrimonio* est personæ, conditionis servilis, qualitatis, vel fortunæ.

152. *Cognatio est naturalis* inter consanguineos, vel affines: *vel legalis*, in adoptione: *vel spiritualis*, quæ contrahitur ex sacramento baptismi & confirmationis. Sic Canonistæ.

153. *Impedimenta conjugij* sunt vel prohibentia, ne fiat: vel dirimentia, cum est factum.

154. *Matrimonium est clandestinum, vel solenniter confirmatum.*

155. *Servitus debiti coniugalis* debet esse liberalis, non bestialis.

156. *Dimissio coniugis* alia est perpetua, alia quantum ad thorum vel cohibationem. Ita Canonistæ.

157. *Hierarchia* est angelica, vel Ecclesiastica, apud Dionysium. Hierarchia ecclesiæ juxta Canonistas est inferior, in qua sunt plebs, clerus, & monachi: vel superior, in qua sunt ministri, sacerdotes, & summus Pontifex.

158 *Magistratus Christianus* est ecclesiasticus vel civilis.

159. *Lex alia est aterna, alia tempora-*

lis. Lex æterna est ratio divina, seu voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans. Lex temporalis est adumbratio æternæ legis: estque alia naturalis, alia divina, alia humana. Legem iniquam quod attinet, illa non est lex, sed fæx.

160. *Lex naturæ consideratur* in principiis & conclusionibus suis. Ad conclusiones pertinet jus gentium.

161. *Lex divina* est vetus vel nova. Illa est moralis, ceremonialis, vel judicialis: hæc ipsum Evangelium, quod jubet credere in Christum, & fidem operibus Evangelicis facere testatam.

162. *Lex humana* est pœnalis, vel non: & illa est pœnæ ferendæ, vel latæ.

163. *Obligatio legis* est universalis, vel particularis: immediata, vel mediata.

164. *Consuetudo* est bona, vel mala: rationabilis, vel irrationabilis, habens vim legis, vel non.

165. *Necessarium est triplex.* 1. *Incommutabile*; quod ita constat divina & æterna ratione firmatum esse, ut nulla ex causa possit vel ab ipso Deo aliquatenus immutari: ut, Dilige Deum & proximum. 2. *Inviolabile*; quod ab homine traditum, sed divi-

divinitùs promulgatum, nisi à Deo, qui tradidit, mutari omnino non patitur: ut, Non occides. 3. *Stabile*; quod à legislatore homine mutari potest.

166. *Præcepta* sunt dispensabilia, vel non.

167. *Dispensatio* est laudabilis, vel culpabilis: & hæc est crudelis dissipatio.

168. *Beneficia Ecclesiastica* dicuntur bona illa, quibus foventur & sustentantur Ecclesiæ ministri.

169. *Decimæ* sunt legis & juris communis, vel specialis in V. T.

170. *Ieiunia portionalia* Tertulliano sunt abstinentiæ quædam, ex præcepto privato vel consuetudine observandæ.

ARITHMOLOGIA SACRA & quotidiana Conscientiæ luctantis.

UTilissimum hoc est exercitium conscientiæ, quod nunc aggredimur delineare. Proponimus nempe insignium rerum numeros, qui facile in memoria hærere possunt, & quotidiè conscientiæ repræsentari.

I.

QUINQUE MONADES, SEU unitates sacræ.

lis. Lex æterna est ratio divina, seu voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans. Lex temporalis est adumbratio æternæ legis: est. que alia naturalis, alia divina, alia humana. Legem iniquam quod attinet, illa non est lex, sed fæx.

160. *Lex naturæ consideratur* in principiis & conclusionibus suis. Ad conclusiones pertinet jus gentium.

161. *Lex divina* est vetus vel nova. Illa est moralis, ceremonialis, vel judicialis: hæc ipsum Evangelium, quod jubet credere in Christum, & fidem operibus Evangelicis facere testatam.

162 *Lex humana* est pœnalis, vel non: & illa est pœnæ ferendæ, vel latæ.

163. *Obligatio legis* est universalis, vel particularis: immediata, vel mediata.

164. *Consuetudo* est bona, vel mala: rationabilis, vel irrationabilis, habens vim legis, vel non.

165. *Necessarium est triplex.* 1. *Incommutabile*; quod ita constat divina & æterna ratione firmatum esse, ut nulla ex causa possit vel ab ipso Deo aliquatenus immutari: ut, Dilige Deum & proximum. 2. *Inviolabile*; quod ab homine traditum, sed divi-

divinitùs promulgatum, nisi à Deo, qui tradidit, mutari omnino non patitur: ut, Non occides. 3. *Stabile*; quod à legislatore homine mutari potest.

166. *Præcepta* sunt dispensabilia, vel non.

167. *Dispensatio* est laudabilis, vel culpabilis: & hæc est crudelis dissipatio.

168. *Beneficia Ecclesiastica* dicuntur bona illa, quibus foventur & sustentantur Ecclesiæ ministri.

169. *Decima* sunt legis & juris communis, vel specialis in V. T.

170. *Ieiunia portionalia* Tertulliano sunt abstinentiæ quædam, ex præcepto privato vel consuetudine observandæ.

ARITHMOLOGIA SACRA & quotidiana Conscientiæ luctantis.

UTilissimum hoc est exercitium conscientiæ, quod nunc aggredimur delineare. Proponimus nempe insignium rerum numeros, qui facile in memoria hærere possunt, & quotidiè conscientiæ repræsentari.

I.

QUINQUE MONADES, SEU unitates sacræ.

1. UNus est Deus, à quo, per quem, & ad quem sunt omnia.

2. Unus est liber, ex quo discere debemus quæ Deo sunt grata, & nobis salutaria: videl. Scriptura sacra.

3. Una est mater, in cujus gremio quiescere debemus: videl. Ecclesia Apostolica, pendens ab uno Dei verbo.

4. Una est religio, quæ nos perducit ad vitam æternam: vid. Christiana, hoc est, unum Christum sibi proponens in quo quærat salutem, & quem imitetur.

5. Una est vita æterna, quam Deus Ecclesiæ promittit in suo verbo, & ad quam tendit religio Christiana.

II.

TRES BINARII SACRI.

1. DUo sunt remedia peccati: videl. fides in Christum, & pœnitentia. Fides in Christum recumbit in unica ipsius satisfactione, tanquam optima maxima: & est prima post naufragium tabula. Pœnitentia est secunda post naufragium tabula, & debet durare usque ad finem vitæ. Nam quia singulis fere momentis Deum offendimus peccatis, necesse est ut doleamus de illis, & in nobis puniamus quod commisisse nos dolemus. Pœnitentia enim est quædam dolentis vindicta, volun-

voluntariè in se punientis, quod commisisse se dolet. Oportet itaque, quoties labimur aut relabimur, dolere de peccato, hoc fine, ut aliquatenus compensetur offensa Dei, sive ut vindicetur injuria Deo facta. Compensatio autem ista consistit in odio peccati, & studio sanctitatis. Porro hîc tenenda sunt ista tria. 1. Quibus modis acquiratur pœnitentia. 2. Quænam sint ipsius obstacula. 3. Qui effectus sive fructus. *De primo* Quinque gradibus ascendere licet ad pœnitentiam. Primò Dei misericordia nos prævenit: deinde movemur fide: tertiò timore vel servili, vel filiali: quartò, spe: quintò, charitate. Quod dixi de timore servili, sic est accipiendum. Opus est ut timor supplicii à Deo infligendi, seu divinæ severitatis, nos reluctantes veluti crinibus trahat ut agamus pœnitentiam. *De secundo.* Nec gravitas, nec multitudo peccatorum impedire debet, quò minùs venia speretur agenti pœnitentiam. Nam Dei misericordia, & virtus passionis Christi infinita est. Nec quisquam retardetur annis, ut pœnitentiam de die in diem differat. Nam pœnitentia sera rarò est vera. Denique nemo abutatur misericordia Dei & virtute passionis Christi: quia

duo hæc bona nonnisi resipiscentibus impenduntur. *De tertio.* Fructus pœnitentiæ sunt numero quinque: videlicet obsignatio remissionis peccatorum, ornatus animæ, tranquillitas & pax animæ, adoptatio in filios Dei, & benedictio temporalis.

2. *Duæ sunt partes, quibus integratur universa Scriptura: Lex & Evangelium.* Lex est norma faciendorum & fugiendorum. *Evangelium* est norma credendorum & non-credendorum.

3. *Duo sunt sacramenta*: unum initiationis, quod dicitur *baptismus*; alterum nutritionis spiritualis, quod dicitur *cœna Domini*. In baptismo præstamus Deo juramentum fidelitatis: in cœna renovamus istud juramentum.

III.

QUATUOR TERNARII sacri.

1. *Tres sunt personæ in una Dei essentia. Pater*, qui omnia creavit per Filium, fovente Spiritu sancto; *Filius*, qui nos redemit, approbante Patre & Spiritu sancto: *Et Spiritus sanctus*, qui à Patre & Filio mittitur in corda nostra.

2. *Tria sunt exemplaria, quæ debemus imitari*

imitari: *Deus, Christus, & sanctitum angelitum homines:* Deus, tanquam Pater: Christus, tanquam frater: sancti, tanquam conservi.

3. *Tria sunt opera iustitiæ: oratio, eleemosyna, & jejunium.* Illa complectitur omnes regulas sancti desiderii: ista, omnem benevolentiam & beneficentiam, sive dandi, sive ignoscendi: hæc, universam corporis castigationem & disciplinam.

4. *Tres sunt virtutes theologicæ: fides, spes, charitas.* Ex his fides credit invisibilia, spes expectat dilata, charitas amat Deum & proximum, etiam nobis contrarios.

IV.
DUO QUATERNARII sacri.

1. *Quatuor sunt virtutes cardinales, quas parit & regit fides in electis.* Prima est *prudentia*, quæ est recta rerum agendarum ratio. Secunda est *justitia*, quæ utilitatem propriam negligit, ut communem æquitatem custodiat. Tertia est *fortitudo*, quæ excelsi animi magnitudine in rebus secundis & adversis eminet. Quarta est *temperantia*, quæ modum ordinemque servat omnium, quæ vel agenda, vel dicenda arbitramur. Ab his quatuor virtuti-

tutibus nascuntur officiorũ genera. Quæ idcirco cardinales dicuntur, quia sunt aliarum fontes & cardines: & quia universi boni operis structura eis, velut ostium cardinibus, innititur: sive considerentur ut speciales virtutes, sive accipiantur ut generales conditiones omnium virtutum.

2. *Quatuor sunt novissima: videl. mors, judicium, vita æterna & infernus.* Ex his mors, judicium, & infernus sunt omnium terribilium terribilissima: vita æterna est omnium desiderabilium desiderabilissimum.

V.
UNUS QUINARIUS sacer.

Quinque porta sensuum ritè aperiantur & claudantur, hoc modo. Avertantur *oculi*, ne videant vanitatem: intueantur autem mirabilia Dei in libro naturæ & Scripturæ. *Aures* sint clausæ multiloquio & stultiloquio: sint autem patulæ piis colloquiis. *Lingua* sibi moderetur in gustandis deliciis temporalibus. *Nares* eodem modo regantur in olfaciendo. *Manus* denique & *pedes* contineantur in officio justitiæ, temperantiæ & diligentiæ. Rursus *oculi* fundant rivos lachrymarum

rum ob peccatum, & *manus* puræ eleventur ad Deum, sintque promtæ ad erogandum eleemosynas.

VI.

UNUS SENARIUS SACER.

Sex sunt petitiones orationis Dominicæ: de quibus suprà c. 40.

VII.

UNUS SEPTENARIUS SACER.

Septem sunt dona Spiritus sancti: videlicet spiritus sapiētiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & spiritus timoris Domini. *Esa.* 11. Quibus sanctificationibus septem spiritualium virtutum, significatur plenitudo virtutum quas in Christo possidemus. Sub iis igitur spiritus precum, dilectionis, sobrietatis, mansuetudinis, & reliqua Spiritus sancti χαρίσματα comprehenduntur. Sicut autem Esaias non deficiendo, sed docendo, à sapientia usque ad timorem Dei descendit: sic nos non superbiendo, sed proficiendo à timore Dei usque ad sapientiam oportet ascendere.

VIII.
UNUS OCTONARIUS sacer.

Octo sunt beatitudines, de quibus apud Matthæum cap. 8. Beati nempe 1. pauperes spiritu. 2. Mites. 3. Qui lugent. 4. Qui esuriunt & sitiunt justitiam. 5. Misericordes. 6. Mundi corde. 7. Pacifici. 8. Qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Octo istæ beatitudines cum septem donis Spiritus sancti conferantur hunc in modum. Gradatim ascendendo per septem dona Spiritus sancti, & per octo beatitudines descendendo, timor convenit humilibus, pietas mitibus, scientia lugentibus, fortitudo esurientibus, consilium misericordibus, intellectus mundis corde, sapientia pacificis.

IX.
DUO NOVENARII sacri.

1. *Novem chori sanctorum Angelorum* commemorantur, hoc modo: Seraphim, Cherubim, Throni, Dominationes, Principatus: Potestates, Virtutes, Archangeli, Angeli. Castissimas hasce mentes debemus nobis proponere imitandas.

2. En-

2. *Enneas ista* quotidiè percurratur.

Vtinam ô homo

- *Saperes tria præterita*
  - *Malum commissum.*
  - *Bonum omissum.*
  - *Tempus amissum.*
- *Intelligeres tria præsentia*
  - *Vitæ brevitatem.*
  - *Salvandi difficultatem.*
  - *Salvandorũ paucitatem.*
- *Provideres tria futura.*
  - *Mortem, quâ nihil miserabilius.*
  - *Iudiciũ, quo nihil terribilius.*
  - *Pœnam inferni, quâ nihil intolerabilius.*

X.

UNUS DENARIUS sacer.

Decem sunt præcepta decalogi: de quibus supra cap 16. & seqq. & iterum c. 38. & seqq.

XI.

UNUS UNDENARIUS sacer.

Undecim sunt remedia peccatorum, hoc ordine. 1. Cogitatio existentiæ & essentiæ Dei, adeoque omnium ejus attributorum: nominatim omnipræsentiæ, omnipotentiæ, benignitatis, & severitatis ejus. 2. Cogitatio & imitatio Christi, ejusque vitæ & mortis. 3. Præsentia sanctorum Angelorum, imò & malorum. 4. Agnitio infirmitatis nostræ. 5. Oratio constans gemitibus inenarrabilibus. 6. Æternitatis meditatio. 7. Conversatio cum bonis. 8. Peccati turpitudo turpissima, & noxa nocentissima. 9. Virtutum & bonorum operum excellentia & fructus nobilissimus. 10. Exempla Sanctorum, imò & ethnicorum. 11. Lectio Scripturæ sacræ assidua.

XII.
QVINQVE DVODENARII sacri.

1. *Duodecim sunt fructus spiritus*, in quatuor ternarios distincti, hoc modo. *Primus ternarius*: charitas, gaudium, & pax: *Secundus*, patientia, benignitas, & bonitas: *Tertius*, longanimitas, mansuetudo, & fides: *Quartus*, modestia, continentia, & castitas. *Gal.* 5.

2. *Duodecim sunt articuli fidei*, quibus, tanquam signis verè cœlestibus, constat zodiacus hominis Christiani.

3. *Dodecas ista præteritorum* singulis momentis percurratur.

Vtinam

- Vtinam ô homo scires præterita cum dolore
  - Malum commissum contra
    - Deum.
    - Teipsum.
    - Proximum.
  - Bonum omissum
    - Vitia non extirpando.
    - Virtutes non inserendo.
    - Ad perfectionem non properando.
  - Tempus omissum quo
    - Nihil pretiosius.
    - Nihil labilius.
    - Nihil desiderabilius.
  - Christum occisum
    - Crudeliter ab inimicis.
    - Nequiter ab amicis.
    - Libenter pro amicis & inimicis.

4. Simi-

4 Similiter hæc *dodecas præsentium* absque intermissione percurratur.

Vtinam ô homo intelligeres præsentia cum tremore

- *Beneficiorum multitudinẽ in*
  - *Anima*
  - *Corpore*
  - *Rebus cæteris.*
- *Mundi vanitatem, qua*
  - *Decipiuntur avari.*
  - *Trahũtur carnales.*
  - *Capiuntur superbi.*
- *Peccantis infirmitatem propter*
  - *Carnem repugnantem.*
  - *Dæmonem impugnantem.*
  - *Mundum allicientem.*
- *Vitæ brevitatem, quæ est*
  - *Vitro fragilior.*
  - *Fumo levior.*
  - *Vento agilior.*

5. Ad

5. Ad extremum quotidiè percurratur *dodecas ista futurorum.*

Vtinam ô homo provideres futura cum timore

- *Diem mortis imminentem, quæ est*
  - *Certissima.*
  - *Incertissima.*
  - *Acerbissima.*
- *Faciem iudicis terrẽtem, quoniam est*
  - *Infallibilis propter sapiẽtiam.*
  - *Inflexibilis propter iustitiam.*
  - *Infugibilis propter potentiam.*
- *Ignem inferni sævientem, quo*
  - *Nil crudelius.*
  - *Nil horribilius.*
  - *Nil infelicius.*
- *Æternam gloriam indeficientem, in qua est*
  - *Amotio omnium malorum.*
  - *Associatio omnium Sanctorum.*
  - *Adimpletio omnium desideriorum.*

SOLI DEO GLORIA.